



Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM IVRIDICAM

D E

# IVRE SERVORVM APVD ROMANOS,

P R A E S I D E

ABRAHAMO WIELING,

I. V. D. ET ANTECESSORE  
PVBL. ORD.

D E F E N D E T

G E O R G E D' ARNAVD,

*Franequera Fritius.*

A V C T O R.

A. D. 9. Octobris, MDCCXXXIV.

H. L. Q. S.



F R A N E Q V E R A E,

Excludit GVLIELMVS COVLON, Illust. Frisiae Ordd.  
Academiae Typograph. ordin. MDCCXXXIV.

ILLVSTRI. ET. GENEROSO

V I R O

DOCONI. GEROLDO  
MARTENA. a. BURMANIA

DOMINO. IN. CAMPINGABVRG. AGRI  
WIMBRITZERANI. PRAETORI. EIVS-  
DEMQUE. AGGERVM. PRAEFECTO. SVM-  
MIS. IN. PATRIA. MVNERIBVS. GESTIS  
IN SIGNI. CVM MAXIME. VIII VIRO. REI-  
PVBLICAE. FRISIACAE. CONSTITVEN-  
DAE. ACADEMIAE. FRANEQVERANAE  
CVRANDAE. IV VIRO. ETC. ETC. ETC.



S. D.

G. D' ARNAUD

**E**N TIBI, VIR ILLVSTRIS-  
SIME, qualemcunque inge-  
niï mei foetum, & hoc in genere  
pri-

primum. Cum enim a tenera aetate litteris tam Graecis quam Latinis operam nauasse, meorumque in illis profectum aliquot iam specimina exhibuisse, ibi non consistendum; sed alicuius scientiae studium amplectendum esse ratus, ut hoc pacto solidam utilitatem e litteris humanioribus, quae, in se spectatae, steriles sunt, perciperem; ad Iurisprudentiam Romanam, utpote arctissimo cum illis vinculo copulatam, animum appuli. Non autem haesi in limosis lutofisque Glossatorum & Pragmaticorum vadis; sed iis neglectis, protinus fontes limpidissimos adii, & ex ipsis ritibus & intima R. P. Romanae constitutione, iuris ciuilis principia, &, quae in eo pulcerrima est, analogiam

giam addidici. Non tamen solus, meisque viribus fretus, hoc peregi: praemonstratorem habui huius disputationis Praesidem, qui etiam litteris elegantioribus non minus delectatur, quam iure ipso; eius publicis & priuatis admonitionibus artem illam edocitus, quid in ea praestare possem, vtcunque id fuerit, ostendere volui. Colligens igitur quae in aduersaria, *de iure seruorum*, non trita est materia, conieceram, inde haec enata est dissertatio, quam benigne accipias oro, & eo vultu, quo me ipsius auctorem coram alloqui soles, si vacat & tanti videatur, quaeso perlegas. Ni singularia prope fauoris tui, quo me amplecteris, testimonia extarent, vix est ut TIBI tam leuidense munus offer-

offerre, nedium legendum obtrudere auderem. Hanc vero publicas TI-BI, pro omnibus erga me officiis imo & meritis, gratias agendi occasionem arripere me patiaris; &, quod vnicum habeo, quod rependam, gratam eorum testificationem ne dedigneris. Deum porro O. M. supplicibus votis veneror, TE patriae, amicis, & clientibus, ac mihi ipsi proinde, diu seruet incolumem. Vale. dabam Franequerae, ipsis Kal. Oct. A. C. 1734.

Pag. I



G. D' ARNAVD  
DISSERTATIO  
DE  
IVRE SERVORVM

C A P. I.

De titulo & scopo huius dissertationis.



Runt forte qui titulo tantum perfecto totam opellam meam condemnabunt. Videor mihi talia dicentes audire: villane vnguam seruorum ciuitas fuit? negat certe Anaxandrides apud Athen. lib. vi. pag. 263 C.

Οὐκ ἔστι δέλων ὁ γαῖος σδαμῆ πόλις.  
Nulla est seruorum, o bone, usquam ciuitas.

Eosne iure aliquo gauisos quis dixerit, de qui-  
bus

A

bus diserte alia omnia adfirmant iureconsulti? *l. 3. D. de cap. min.* Seruile caput nullum est. Mortuis comparantur *in l. 209. D. de R. I.* Quin prorsus pro nullis haberi dicuntur *l. 32 D. eod.* adde Landium *Enarrat. cap. xx. pag. 1340.* Qua igitur fronte, inquiet, hic nobis dissertationem de iure, quod itidem nullum est, obtrudere audet? Parum aberit ut obiciant, quod mulier marito apud Iuuenalem *Sat. vi. §. 222.* O demens! ita seruus homo est? Sed si eos humano generi eximant, velim mihi refellant argumenta Macrobii *Saturn. lib. I. cap. 11.* Id qui facere queat cum nemo sit, saltim Florum secuti *lib. 111. cap. 20.* seruos secundum hominum genus affinabunt, adeoque vel sic oportebit concedant eos homines esse. Quam vero naturam nacti sunt, illane per ciuitatum constitutiones, imo per ipsos gentium mores, illis auferri potest? ne vnum quidem hoc asseuerauerit. *Serui,* ait Florus loco laudato, *in bona libertatis nostrae adoptantur:* quae bona percipi non possunt, eos immodicis laboribus exercendo, fame, non hominibus tantum, sed & feris bestiis intolerabili enecando, aut denique pecudum instar mactando. Contrariam viam ineuntes dominos, maximum emolumen-  
tum capere, docet Theano, Pythagorea mulier, *in exhortatione ad Callistonem.* Μή τε δέ τὸν κόπον καμνωστίν, μήτε ἀδυνατῶσι δέ τὴν ἔρδειαν εἰσὶ γὰρ ἄνθρωποι τῇ φύσει. Neque prae nimio labore mor-  
bum

bum contrahant, neque fatiscant inedia. Est enim humana eorum natura. Athen. *lib. vi. pag 265. A.* & D. Pius rescripto *ad Ael. Marciandum l. 2 de his qui sui & al. iur.* Proposui autem praecipue hac commentatione obuiam ire isti nimis crudaee multorum opinioni, qui bestias & seruos eodem loco apud Romanos fuisse existimant: qui dominis quiduis in eos licitum fuisse contendunt. Siue eos trucidare, siue corrumpere, siue exquisitissimis tormentis excruciare voluerint. Qualis saeuitia non dicam in Romanos; sed nec in barbaras maxime & incultas gentes cadere posse videatur. Si non tanta feritas fuit duri illius Atheniensium legislatoris, cuius leges propter insignem rigorem sanguine vulgo perscriptas perhibent, quid dicendum de Romulo ceterisque populis Romani legumlatoribus, mitissimi ingenii viris? Poteritne quisquam sibi persuadere eos miserorum hominum, ad infimam & tristissimam vitae humanae fortem redactorum, fortunae tam inhumanter insultare voluisse, ut ipsis acerbius videatur vivere, quam seruire? Verum enim uero Romani non pauca, in ius ciuile, seruis fauorabilia introduxerunt, alia conniuentibus oculis, ut loquitur Vlpianus *in l. 4. § 1. D. de manum.* concesserunt. Quod vtrumque hac tractatione demonstrare conabor. Ne vero quis moleste ferat me sub generaliore iuris titulo, etiam aliqua comprehendere, quae re vera iuris non sunt, sed a

mera dominorum erga seruos benevolentia pen-  
dent. Cum Plinio iuniori & Petronio *cap. 53.* li-  
cuerit, vltimas quasdam seruorum voluntates *teſta-*  
*menta* vocare, Plauto ordinarium teruum vicarii  
herum appellare *in Pers. Act. 11, sc. 2.* ys. 65. *sc.*  
*4* ys. 6. 9. similiterque Vlpiano *in l. 17. D. de*  
*peculio:* Petronio rursus vicarium *clientem* ordinarii  
*cap. 30.* quidni & mihi integrum fuerit qualia-  
cunque eorum priuilegia *iuris* nomine designare.

## C A P. II.

## Quibus modis serui fiant.

**N**Vlli fuerunt populi, Indos si forte solos  
& incolas insulae Tapobrane excipias,  
teste Plin. *Hist. Nat. lib. vi. cap. 22.* & Casau-  
bono *ad Strabonem lib. xv. pag. 1027. num 2.*  
qui seruis vſi non fuerint. Nomen seruorum ab  
εργῳ deductum existimat Bodinus *de R. P. lib. 1.*  
*cap. 5. pag. 53.* Ab erus vnde eritudo derivat Sca-  
liger *in coniectaneis ad Varrorem.* Definire non  
ausim vtra harum genuina sit Etymologia, forte  
neutra. Originem feruituti dedisse peccatum no-  
bis tradunt antiqui Ecclesiae Christianae Docto-  
res: Chrysostomi & Augustini ea de re testimo-  
nia videre poteris apud Colerum *parerg. cap. ult.*  
Aliter Philosophi veteres & Iurisconsulti. Ex  
illis

## DE IVRE SERVORVM. 5

illis plerique seruos dividebant in natura & lege  
tales. Per seruos natura intelligebant eos qui ab  
omniparente rerum matre ita comparari lunt vt  
alienis subesse debeant imperiis. Homines exem-  
pli causa robusti & vegeti, at exili aut nullo in-  
genio praediti, creati videntur, vt eorum qui  
ingenio pollent; sed debili lunt corpore, regimini  
subsint, eisque operas teruiles, pro consiliis &  
rectura praestent. Haec fere sententia est Ari-  
stotelis *in Politicis*, quam late persequitur & ex-  
plicat Dan. Heinsius *in epiftola ad Richterum*,  
*Tom. II. thefaur. iur. pag. 605.* Cum ea sis con-  
iunge Scip. Gentilis *commentar. ad Epift. Pauli*  
*ad Philem. § XLV.* Non multum ab Aristotelis  
mente abludit Posidonius e Zenonis familia Phi-  
losophus *apud Athen. lib. vi. pag. 263.* C. Ποσει-  
δῶν @ δὲ Φησὶ τολλοὺς τινας ἔαυτῶν & δυναμένας  
προΐσαθαι, οἵτινες διάφοροις αἰδενὲς, ὅπιδεναι  
ἔαυτοὺς εἰς τὴν συνετωτέρων ὑπηρεσίαν, οἱς παρ' ἐκεί-  
νων τυγχανούστες τοῖς διάφοραί τινεισί, αὐ-  
τοὶ πάλιν διποδιδόσιν ἐκείνοις δι' αὐτῶν ἀπὸν ὁσιν διη-  
ρεῖν δυνατοί. Posidonius refert, multos qui suis re-  
bus superesse non poterant, propter intellectus imbe-  
cillitatem, se tradidisse ad ministerium prudentiori-  
bus, ut ipsi ab iis, quae ad sui curam necessaria e-  
rant, consequentes, illis vicissim reddant operas  
quibus pollent. Quem locum etiam obseruavit  
Sam Petitus *Obseruat. ad Ius Attic. & Rom. lib.*  
*II. tit. 6. p. 176.* Huc referri potest, quod alii  
Phi-

Philosophi dicunt, bonis seruire debere improbos. Hinc bonus & sapiens etiamsi seruiat ab ipsis liber vocatur. Eurip. *Helen.* ys. 734.

Ἐγὼ μὲν εἶην, καὶ πέφυκτὸς ὄμως λάτρεις,  
Ἐν τοῖσι γενναιόσιν ἡρθημένῳ  
Δέλαισι, τῶνοι σύνεχων ἐλεύθεροι,  
Τὸν τὴν δὲ. - - - -

*Ego vero licet natus famulus,*  
*Numerandus sum inter liberales*  
*Seruos, nomen quidem non habens liberum,*  
*Sed animum.* - - - -

Proinde bonus, etiamsi seruiat, liber est: malus autem etiamsi regnet seruns est. D. Augustini verba sunt, e lib. iv. cap. 3. de Civit. Dei. Expressa diceres ex his Bionis apud Stobaeum Serm. LX. οἱ ἀγαθοὶ εἰνέται ἐλεύθεροι, οἱ πονηροὶ ἐλεύθεροι δέλαιοι. Boni serui sunt liberi, mali liberi serui. Totae fuere gentes quae videbantur seruituti natae, quorsum pertinet dictum Callicratidae, apud Plut. *Apophthegm. Lacon.* pag. 222. D. qui rogatus quid de Ionibus ipsis videretur, respondit: ἐλεύθεροι μὲν κανοὶ, δέλαιοι δὲ ἀγαθοὶ. Liberi mali, at serui boni. Sed haec Philosophis relinquamus; tales enim seruos in iure non intelligi vel ex definitione seruitutis liquet. Ea est secundum Iustinianum, *Constitutio iuris gentium*, qua quis contra naturam alieno dominio subiicitur. Hi autem serui lege, quippe qui alieno dominio subiiciuntur

## DE IURE SERVORVM.

iiciuntur ex causis iure gentium aut civili introductis, cum saepe a natura ita comparati sint ut debuissent esse liberi, variis modis fiunt; sequentes potissimum numerantur. Natiuitas ex ancilla, non tantum propter, alimenta matri gruiae praestita, quae sola causa si sufficeret, partus ancillae etiam in fructu esse deberet, verum etiam ob educationem subsequentem. Pactum alimentorum. Post distincta scilicet rerum dominia obtinuit, ut pauperes, qui non habebant unde ad viatum necessaria sibi compararent, ea a diutoribus & potentioribus acciperent, & se vicissim eis addicerent, operaque praestarent. Recte eos perpetuos mercenarios esse docet Grotius de *Iure Belli.* & Pac. lib. IIII. cap. 14. § 2 num. 2. Imo ipsos mercenarios libertate carere inhiuit Seruius ad *Virg. Eclog.* I. ys. 28. Melius contra Petronius pag. 265. *Hominis operas locani non caballi; nec minus liber sum quam vos, et si pauperem pater me reliquit.* De seruitutis genere, quo degimus, apposite Scholia stes Eurip. ad *Hecub.* ys. 864. Δέλαιοι τύχης ἐσίν οἱ ἀγαναζοῦντες δέλαιοι τῷ τὸν κρεπτόγονον εὐτυχίᾳ. Fortunae seruus est ille qui cogitur inseruire potentiorum felicitati. Et ipse Euripides apud Stobaeum.

Οἱ γὰρ ἵστοις  
Τοῖς πρεσβοστιν Φιλῆσι δέλεύειν βροτῶν  
Tenuiores enim  
Potentioribus hominibus seruire solent.

Nunc

Nunc dicendum est de iis quos fortuna belli in seruilem conditionem detrusit. Qui modus a multis omnium antiquissimus habetur, nominatim a Dione Prusaean Orat. xv. pag. 242. B. Cum plurimi in praelio caperentur viui, nimis crudele videbatur, postquam ira deferbuisset, & ardor ille pugnae & caedis subsidisset, sese dedentes trucidare. Petron. cap. 67. *Dedititiis hostibus parcimus.* Cumque plus utilitatis ex salute ipsorum quam nece speraretur in seruitutem redacti sunt. Inde vero est quod multi, inter quos & Iureconsulti nostri, seruos quasi *in bello seruatos dictos esse volunt.* Glossae nomicae: Σέρβοι: οἱ δὲ λοι ἐπ τῷ πεφυλαίχθαι εἰς δελεῖαν, οὐ μὴ τὸν τῶν παπχέντων πλεμέων ἀναρρέαν. Serui dicti quod ad famulandum seruentur & non interficiantur ab hostibus, qui eos ceperunt. Obiter moneo in iisdem Glossis pro Σέρβαις δέλοι, legendum δέλαι. Vide de hac Etymologia I G. Vossii Lexicon in Voce. & Gifanum ad Institut. Disput. II. Thes. 4. § 16. Eadem est ratio deriuacionis vocabuli *mancipium* apud Donat. ad Terent. Adelph. Act. II. sc. I. Atheniensibus iam ab antiquissimis temporibus receptum fuisse hunc morem bello captos seruandi liquet ex Eurip. Heraclid. § 965.

Εξθετοὶ δέ & καλὸν πλανεῖν;  
Οὐχ ἔντιν' αὐτοὶ γε τόσοις ἔλασιν οὐ μάχη.

- - Hisne igitur turpe est hostes interficere?  
Minime: sed quem viuum in praelio ceperunt.

Idem

Idem de omnibus Graeciae populis docetur apud Diodor. Sicul. lib. IIII. pag. 343. hic addita ratione, ambitiosa magis quam vera. Δει γὰρ τοις Ελλησι τὸ ἔχθραν εἶναι μέχει τὸ νίκης. καὶ πολάζειν μέχει. Σεργητοῖσιν τὸ ἐναντίων Graecorum enim inimicitiae simulac victoriam adepti fuerint cessare & donec hostes superauerint eos castigare debent. Iam vero iuxta Prouerbiū quod habet Plato in Philebo pag. 157. § 4. τὸ ὅρθως δοθέντων σὺν ἐσιν ἀφαιρεῖται. Quae recte data sunt adimi non possunt. Vita etiam illa, qua captiui donati sunt, ipsis non sine ratione: & quando victori libuerit, adimi recte potest; sed tunc demum ubi ingrati fuerint, quae etiam iure ciuili reuocandae donationis legitimae iusta causa est, erga dominos eosque victores & sospitatores suos. Adeoque non credendum I. Fr. Gronouio, qui, in notis ad Grot. de Iur. Bell. & Pac lib. IIII. cap. 7. § 4. ait captiuos seruituti iam referuatos ubi quis velit iure occidere posse. Rationes frigidas huius instituti dat P. Auellanus in loc. ref. & explic. cap. 23. Bellum porro quo capti serui fiunt oportet utrinque sit iustum, vt monet Bodinus de Republ. lib. I. cap. 5 pag. 53. Hanc rationem deuictos & bello captos in seruitutem redigendi, imitati sunt veteres in ludicris gallorum gallinaceorum certaminibus, in quibus victus vincentis seruus efficiebatur: confer, nec poenitebit, quae eam in rem iucunda simul & erudita oblerauit Steph. Berglerus ad Alciphr. lib. I.

B

*lib. i. epist. 27. pag. 111.* Emtione comparabantur quoque serui, quos δέλες ἀργυρος necessitatis seruos vocat Dio Chryloſt. *Orat. xiv. pag. 231. D.* Άλλα εἰπὲρ ὅτε ἀντιριψον παταβάντως, τότε εἴδεντες δέλες εἰσιν. Ille necessitatis seruus est pro quo argentum soluerit aliquis. Convenit τυχης δέλος quod supra in Scholiaſte Euripid. obſeruauimus. Gentibus quibusdam more receptum erat liberos suos, aliis vt ferui fierent, diuendere. Hoc commercio infames potissimum fuerunt Cares & Cappadoces, ita vt idem fuerit Cappadocem dixeris an mancipium: Casaubonus *ad Spart. Adrian. cap. 13.* Pontici etiam, Phryges & Lydi εἴσαι τὸ δελεύειν αἰχμὴν ἵγεντο seruitutem turpem esse non credebant. Philoſrat. *in vita Apollon. Thyan. lib. viii. cap. 7. § 12.* Addit porro φυγὴ γὰρ ἐπιχάριον, ἀποδίδοσθαι τὰς αὐτῶν. *Phrygibus* sane receptum est suos distrahere. Atheniensibus idem licuisse refert in Solone Plutarch. pag. 85. B. Véteribus Romanis ea quoque data fuit potestas, quo alludit Dio Prusaeus *Orat. xv. pag. 240.* B. sed forte tantum in liberos tali poena dignos. vtrumque tamen hunc populum, quantumuis iure illo gauifus fuerit, eo rarissime vñum legimus. Notatu dignum quod discimus ex Euſtath. *ad Hom. Odyſſ. 1 pag. 120. ys. 17.* Chios omnijum primos emta mancipia habuisse. Hi modi plerisque populis communes fuere. Sunt alii bene multi Romanis proprii, quibus omnibus

ex-

excepta partus sanguinolenti venditione, in poemam e liberis ferui fiunt. Ita qui Legatum pulsasset, aut foedus populo Romano ignominiosum percussisset, populo, cuius Legatus ille erat, aut cum quo foedus icerat, dedebatur. Ciuis Romanus viginti annis maior, qui se pretii participandi caufa, ignoranti eum ciuem esse, venundari passus est, libertate multabatur. Libertus erga patronum ingratus, in statum a quo antea ab ipso emissus fuerat retrahitur, & iterum seruire cogitur. Haec poena omnino necessaria erat ad reprimendum eorum fastum, de quo eleganter Plaut. *Perf. Act. v. sc. 2. ys. 57.*

*Sed ita pars libertinorum est, nisi patrono qui aduersatus est,*  
*Nec satis liber sibi videtur, nec satis frugi, nec satis honestus.*

Mulier quae cum seruo alieno, inuito domino, contubernium iniuit, si post tres factas denuntiationes perſeueraſet, domino iſti ex SC. Claudio seruire tenebatur. Adſcribam verba Imperatorum Valentiniani, Valentis & Gratiani *in l. 6. Cod. Theod. ad SC. Claud.* Si apud libidinosam mulierem plus valuit cupiditas quam libertas, ancilla facta est non bello, non praemio; sed connubio --- Manifestum est enim ancillam esse voluisse eam quam liberam esse poenituit. Hos modos recenset & latius perſequitur Mercerus *Opin. & Obſeruat. lib. 1.*

*cap. 9.* vbi tamen plures alios addit, huc minus facientes, tam eorum qui cum liberi forent in seruitute versabantur, quam illorum qui serui existentes pro liberis se gerebant, & in libertate morabantur. Nemo autem ignorat quid inter sit seruum inter & eum qui in seruitute versatur, & similiter inter liberum, eumque qui in libertate moratur. Alia quoque huc pertinentia inuenies apud Heineccium *Antiq. Rom. lib. 1. tit. 3.* Cives Romani eorum qui iam serui erant dominium acquirebant ut aliarum quarumcunque rerum. Apposite Quintil. *Instit. Orat. lib. v. cap. 10.* *Hic seruus quem tibi vindicas, aut verna tuus est, aut donatus, aut testamento relictus, aut alienus.* Paria fere habet in *Declam. 3 II.* Non possum quin hic adscribam insignem locum Varronis *e lib. II. de re rust. cap. 10.* *In emtionibus dominum legitimum sex fere res perficiunt.* Si hereditatem iustum adiit: si ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo iure ciuili potuit, aut si in iure cessit, cui potuit cedere, & id vbi oportuit, aut si usuccepit, aut si e praeda sub corona emit. Tumue cum in bonis sectio neue cuius publice venit. Recte Scaliger pro cui potuit emendat qui potis; forte non male legetur qui potuit.

C A P.

## C A P. III.

An serui inter bestias numerati?

**M**irum profecto multis videbitur si operam impendero ad demonstrandum seruos a Romanis non bestiis; sed hominibus adnumeratos esse. Verum enim uero necessarium hoc omnino est contra eos qui affirmant iure Ciuili quadrupedes & seruos eodem esse loco, & inde concludunt, ut boues & pecudes ita & mancipia iugulari potuisse. Aleander *ad Caium lib. I. tit. 3. § 1.* Quod ad externam corporis formam attinet, hanc eandem in seruis fuisse quam in liberis hominibus, ridiculum videri posset obseruare, nisi expresse ea de re specialis lex e Paulo in pandectis inserta esset, qua docetur aliquem errare posse in libero homine, eumque tanquam seruum emere, quia difficile dignosci potest liber homo a seruo. *I. 5. de contrab. emt. vend.* In eandem sententiam Dio Chrysost. *Orat. XIV. in fine.* Καὶ νῦν δεῖ τὸ ἐλευθερίας τοιαῦτα ἵπάρχειν σύμβολα καὶ βαδίζειν πίλον ἔχοντα ἐπὶ τὸν κεφαλήν· ἄλλως δὲ καὶ δυνησίμεθα γνῶναι τὸν ἐλευθερον τὸν δόχλον. Et nunc libertatis talia esse debent signa, & incedendum cum pileo in capite, alias non poterimus dignoscere liberum hominem a seruo. Respicit autem Paulus ad vestitum, qui fere idem erat seruorum & liberorum hominum,

B 3

num,

num, praecipue tenuis conditionis. Seneca de Clement. lib. 1. cap. 24. In Senatu dicta est aliquando sententia, ut seruos a liberis cultus distingueret: deinde apparuit, quantum periculum immineret si servi nostri numerare nos coepissent. Adde Lipsii notas. Communem nobiscum naturam servi habent: Philemon in fragment. a Clerico editis num. 29.

Καὶ δέλος ἦν τις ἀδὲν ἡτον δέσποτα  
Αὐθεωπῷος ἐτὸς ἐστι. - - -

*Etiam si seruus quis fuerit, nihilominus domine Homo est.* - - -

Iuuenal. Sat. XIV. ys. 16.

- - - *Animas seruorum & corpora nostra  
Materia constare putat paribusque elementis.*

Et Venuleius l. 12. § vlt. D. de accusat. Imo pas-  
sim in iure nostro hominum appellatione specia-  
tim intelliguntur l. 21. § 1. D. de don. inter vir.  
& vx. l. 38. § 3. D. de solut. l. 44. D. Aedil Ed.  
plura loca prudens omitto. Conferri potest Pig-  
norius de seruis pag. 46. & Noodt ad leg. Aquil.  
cap. 3. Cum disceptaretur an partus ancillae ad  
fructuarium pertineret praeualuit sententia Bru-  
ti, secundum haec pronuntiantis, fructuarium  
in eo locum non habere, quod in fructu homi-  
nis homo esse non possit. l. 68. D. de usufr. &  
quemadm. & Cicero de Finib. lib. 1. cap. 4. Huc  
per-

pertinet plagii reum fuisse qui seruum aut ancil-  
lam nec libidinis, nec lucri faciendi causa suppres-  
sisset l. 5. D. ad leg. Fab. l. 2. 9. & c. Cod. cod.  
Paulus Sentent. lib. 11. tit. 31. § 31. Et T. Pop-  
ma de Oper. Seru. pag. 166. Sed fallitur eum pla-  
giarium vocans, qui seruo aut seruae persuaderit vt a  
domino dominaue aufugiat, is enim scrui corrup-  
ti tenetur, nisi ante per aliquet tempus seruum  
seruamue domi suae detinuerit, eique postea de-  
mum fugam suaserit; quo in casu contra eum da-  
bitur actio legis Fabiae. Illi, qui seruorum con-  
ditionem ab ea quae est quadrupedum non distin-  
guunt, cum Merillio Obseru. lib. 11. cap. 35. ob-  
iiciunt legis Aquiliae caput primum, quod est in  
pr. l. 2. D. tituli cognominis, ubi servi coniung-  
untur cum pecudibus quadrupedibusque: sed ideo  
coniunguntur, quia eodem modo damnum per-  
cipiebat dominus per necem serui ac per necem  
bouis, aut iumenti: ambo in bonis erant, am-  
borum certa pretia, & eadem insuper ratione  
damnum illud refarciebatur. Filius familias quam-  
uis respectu patris, non fecus ac seruus, esset res  
mancipi, haud tamen directe hac lege contine-  
batur, quoniam, vtpote liberum corpus, aesti-  
mationem non recipiebat: neque dici poterat in  
quantum imminutum esset patrimonium patrisfa-  
milias, cuius filius iniuria ab alio esset interfe-  
ctus. Contra serui e corporis textura & operis,  
quas praestare poterant, aestimabantur: nam mem-  
bra

bra serui in dominio erant domini *argum.* l 13.  
*pr. D. ad leg. Aquil.* Quod illustrant Aristoph.  
 verba in *Pluto* ys. 7.

Τὰ σώματα γὰρ τὸν ἑαυτὸν τὸν κύριον  
 Κρατῶν ὁ δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον.

*In eins, cui proprium est corpus,*  
*Potestate illud non finit fortuna, sed in domini.*

Hinc qui seruos habebat *σώματα corpora*, possidere dicebatur: notissimus est versus *σώματα πολλὰ τρέφειν* κ. τ. λ. *corpora multa alere* &c Ita seruos vocari ait Epiphan. in *Ancorato* cap. 59. quoniam scruorum tantum corpora non animos in potestate sua habent domini, similiter Seneca de *Benefic.* lib. 111. cap. 20. *Errat si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere, pars melior eius excepta est. Corpora obnoxia sunt & adscripta dominis: mens quidem sui iuris. --- interior illa pars mancipio dari non potest.* Sophocles apud *Stobaeum Sermon.* LX.

Εἰ σῶμα δῆλον αἷλλ' οὐδὲν ἐλευθέρος  
*Corpus sit seruum licet mens libera est.*

Et Xenoph. *Ephes.* lib. 11. pag. 26. *Ἐχεστιν ἔγγριαν με τὰ σώματα τὴν ψυχὴν δὲ ἐλευθέραν ἔχειν.* *Potestatem habent in corpus meum, sed liberam mentem habeo.* Adeoque dominis dicere poterant serui, quod patri filius familias apud Quintil. *De clam.* 376. *Affectus nostri vobis non seruunt.* Quin etiam

etiam corporis sui naturaliter dominos esse, & in illud saequare posse dicitur in l 9. *D. de pecul.* Sibi ipsos mortem confiscare posse indubium; nullius enim domini tanta est potestas, quae hoc impedire queat; & proinde recte dictum a veterum quibusdam, seruum non esse qui nouit mori. Eurip. apud Philon. in lib. *omnis probus liber* pag. 672. *D.*

Τις ἐστὶ δῆλος τῷ Θανεῖν ἀφεούτις οὐ;  
*Quis seruus est, qui mortem non curat?*

Et Lucan. lib. iv. ys. 579.

*Ignoratque datos ne quisquam seruiat enses.*

Verbis adde exemplum pueri Laconis apud Plutarch. in *Apophth. Lacon.* pag. 234. B. Sed nimis sum. Praeter legem Aquiliam alias auctoritates profert Merillius, ut l. 38. § 1. & 2. de *Aedil.* *Ed.* *Loquuntur Aediles in hoc Edicto de iumentis redhibendis: causa autem huius edicti eadem quae mancipiorum redhibendorum.* Et recte sane: par enim utroque ratio, & seruorum & iumentorum, utriusque sunt in commercio; non tam inde recte infertur domino eadem in seruum licere, quae in iumenta; & quemadmodum eum, asinum ita quoque ei concessum trucidare mancipium. Quae ex Seneca addit idem Merillius, tantum monstrant corruptos Romanorum mores, non autem quod iuris fuit docent. De ser.

seruis lecticariis: idem mos hodienum multis in regionibus obtinet; nemo tamen dixerit lecticarios illos propterea inter iumenta recenseri. Lampridii verba nihil stringunt; forte mendosa fuerint & pro seruos legendum cernos.

## C A P. IV.

Serui iuris naturae participes sunt.

**V**Alidum argumentum ad ostendendam seruorum, apud Romanos etiam, prae bestiis excellentiam, elicitur inde quod naturali iure censeri dicantur in l. 32. *D. de R. I.* Verum enim uero insistat aliquis, & affirmet ius naturale esse, quod natura omnia animalia edocuit, bestiis & hominibus commune; adeoque hoc argumento evinci non posse seruos iure ab animalibus diuerso gaudere. Eam non esse mentem iureconsulti liquet ex ipsius, quae subiungit, verbis: addit enim ideo ius naturale ad seruos pertinere quoniam *quod ad ius naturale attinet omnes homines aequales sunt*. Sed porro quae in seruis obtinuerunt id adhuc clarius demonstrant. Cum nec connubio, quod iuris ciuilis, nec matrimonio, quod iuris gentium, saltum contubernio, quod iuris naturalis erat, eiusque naturalibus effectis fruebantur. Inde cognatio, imo affinitas

con-

## DE IVRE SERVORVM.

19

coniunctioni seruili oberat l. 14. § 2 & 3. de ritu nupt. Non iniuria: *in contrabendis enim matrimoniis naturale ius & pudor inspiciendus est* inquit Paulus ibidem. Cum vero contubernium tantum esset iuris naturalis, eius violatio iure ciuili non vindicabatur, quorsum videtur pertinere l. 23. *pr. Cod. ad leg. Iul. de Adult.* Serui ob violatum contubernium suum adulterii crimine accusari non possunt. Si res mei esset arbitrii legerem accusare. Serui enim contubernium violatur cum aliis, siue seruus, siue liber cum ipsius contubernali rem habuit, eodem modo quo in adulterii definitione, illud esse dicitur *alieni tori violatio* Iam vero ridiculum esset dicere seruum non accusari, cuius contubernium violatum est. Si aliquis existimet violatum contubernium esse cum seruus mulieri alii quam contubernali suae concubuerit, omnino falsus erit. Aut enim concubuit cum serua aut cum libera, si cum serua, recte se haberet illa explicatio; sed si cum libera, eaque marito iuncta, omnino accusari posset, cum ea de re nulla sit dubitatio l. 5 *D. de accusat.* adeoque tunc errassent Diocletianus & Maximianus Augusti. Vnica tantum ratio suppetit ad explicandam vulgaritatem lectionem, vt *contubernium violatum* significet inter se mutuo violatum, & agatur de adulterio serui cum ancilla. Fauet, quod vocula *suum* tamquam sublestae fidei vncinulis inclusa sit. Haec me monuit Doctor meus Abr. Wieling

C 2.

ling

ling a cuius sententia recedere mihi religio esset, nisi ipsum hoc non aegre laturum certo scirem. Dicam igitur me praeterre *accusare*, quoniam admissa hac lectione *suum contubernium* manere, & non tantum de seruis ipsis; sed etiam de liberis hominibus, de quibus in eadem deinde lege agitur, verba, quae prae manibus sunt intelligi possunt. Seruus quippe liberum hominem aut conseruum qui contubernium suum violarunt adulterii nunquam accusat, idque certissimi iuris est. Non ab re erit hic obseruare ancillam quae adulterium commiserat; licet hoc non ex iuris civilis principiis factum sit, capitali supplicio affici iussisse Aurelianum: testis est Fl. Vopiscus *in eius vita cap. 49.* Transeo ad alios effectus iuris naturae quo serui gaudebant. Non licebat extraneo seruum interficere. Si fecisset, distinguebatur culpa & dolus. Qui culpa occidisset lege Aquilia tenebatur *ad domino tantum aes dandum, quanti seruus aut serua eo anno pluri- mi fuerit l. 2. pr. ad leg. Aquil.* Si dolo caedes serui peracta esset homicidii reus erat ex lege Cornelia de sicariis, docet Marcianus *in l. 1. § 2. D. ad leg. Corn. de Sic.* *Qui hominem occi- derit, punitur, non habita differentia cuius condi- tionis hominem interemit.* Serui autem dominus duplii actione percussorem aggredi poterat, & legis Aquiliae ad damnum datum resarcendum, & legis Corneliae ad homicidii poenam ei applicandam,

eandam, qua non liberabatur serui percussor etiamli legi Aquiliae satisfecisset. *l. 23. § 9. D. ad leg. Aquil. & § 11. Inst. eod.* Notandum vero utroque hoc in casu requiri ut seruus iniuria occidatur, quod de lege Aquilia diserte affirmatur *in l. 3. D. ad leg. Aquil.* Poterat enim aliquando seruus iure ab extraneo interfici, domi scilicet vxoris suae deprehensus adulter, & propter illas causas ob quas liberum quoque hominem inconsulto iudice & magistratu occidere licet. Haec de serui caede. Ulterius progrediamur. Iniuria ipsi illata vindicabatur. De Graecis docet Athen. *lib. vi. pag. 263.* F. & Petitus *ad Ius Attic. lib. 11. tit 6. pag 176.* Sed de Romanis ipsis Vopianus *in l. 15. § 35. D. de iniur.* *Si vero non ad singulationem domini id fecit, ipsi seruo facta iniuria, inulta a Praetore relinqui non debuit: maxime si verberibus, vel quaestione fieret: hanc enim & seruum sentire palam est.* Ergo Praetor vindicat iniurias quas seruus sentire potest, licet non in contumeliam domini, ipsi illatas. Non leues iniurias sed atroces, quae non tantum ad corporis caesionem; sed etiam ad tamae iacturam pertinent *d. l. 15. § 47. eod.* Ratio est, quod seruus manumissus licet, si quid infame gessisset in seruitute notaretur *argum. l. 14. D. de his qui not. infam.* & diserte *in l. 4. § 3. eod.* & apud Photium *Nomocan. tit. xiii. cap. 21. pag. 155.* In vltione iniuriarum seruis factarum ratio habebatur

tur conditionis serui *d. l. 15.* § 44. & § 7. *Inst. eod.* Forsan obiciet mihi aliquis § 3. *Inst. eod.* In quo dicitur seruis ipsis nullam fieri iniuriam; sed respondeo hoc stricto iure quidem verum esse; sed si ius naturae & aequitatem species contrarium obtinere, huius autem in cognitione iniuriarum maximam habendam esse rationem, facile constabit cuilibet attendenti poenam quae ex lege introducta erat in desuetudinem abiisse, & aliam a Praetore statutam, qui totum hoc negotium ad se traxit, & aequitatis, quam vbiique sectabatur, praeceptis accommodauit. Vide § 7. *Inst. de iniur.* & Gell. *hb. xx. cap. 1.* Si serui se invicem maledictis prosequerentur nullam inde oriri actionem patet ex Plauto *Persa Act. 11. sc. 4. v. 20.* Ius sepulturae habebant. Innumerae hoc testantur inscriptiones. Sepulcra libertis & seruis communia inuenies apud Gruterum *pag. 934. n. 13. & 936. n. 1.* Ancillae, *pag. 938 n. 1.* Verna, *pag. 947. n. 10.* A seruis sibi inuicem posita, *pag. 959. n. 12. pag. 966. n. 1. pag. 975. n. 4. pag. 987. n. 8. pag. 998. n. 8.* & alibi saepius. Ordinarii vicariis monumenta exstruebant Gruterus *pag. 986. n. 2.* apud Pignorium *de seruis pag. 498.*

HERMEROTI. VICARIO. SVO  
LVPERCVS. SVBVILLICVS  
HORTORVM ANTONIANOR  
BENEMERENTI. FECIT

Con-

Confirmant hoc Iureconsulti nostri ex quibus discimus impensas in funus serui ab extraneo factas a domino esse restituendas *l. 31. § 1. D. de religios.* Quin locus in quo seruu sepultus reliquias est *l. 2. pr. eod.* adde Fornerium *rer. quot. lib. vi. cap. 3.* Et Dis Manibus seruorum sacra siebant Varro *de ling. lat. hb. v pag. 34. v. 39.* Testimonio servorum credebatur si alia probatio ad eruendam veritatem deficeret. *l. 7. D. de testib.* Inque iis locus erat tormentis, vbi iusurandum in liberis hominibus obtinebat. Noodt *Probabil. hb. I. cap. 13. § 15.* Sed & iplorum iusurandum religione non carebat *l. 25. D. de Iureur.* Hinc etiam seruo conditione delata in iudicio iuranti, hoc iusurandum domino ad exceptionem prodierat *l. 23. D. eod.* Huc etiam refero iusurandum quod dominis antequam manumitterentur praestare solebant, quod eos quidem non ciuilter obligabat; sed religione sua adstringebat ad iterum postquam e manu emissi essent, patrono iureiurando operas promittendas. *l. 44. D. de liberali causa.* Quoniam naturalis iuris participes erant serui, quae facti erant vtpote naturalia sibi stipulari poterant. *l. 38. § 6. D. de V. O. & § 2. Inst. de stipul. seru.* Ex delictis etiam ideo obligabantur *l. 14. D. de oblig. & act.* Imo ex contractibus, sed naturaliter, qua de re vtpote non ita facili speciali agemus capite.

C A P.

## C A P. V.

Serui naturaliter obligantur  
& obligant.

**S**eruos ex contractibus naturaliter obligari & obligare diserte docetur *in l. 14. D. de obl. & aet.* Cumque naturaliter obligari possint, inde sequitur pro eis recte fideiuberi, non tantum apud extraneos *l. 13. D. de condic. indeb.* verum etiam apud ipsum dominum § 1. *Instit. de fideiinf.* Constituitur quoque, ut clarissime demonstrant H. Grotius & Scipio Gentilis *ad Epist. D. Pauli ad Philem. ys. 13.* At aliquis, negans seruos naturaliter obligari, mihi obiciat, verba Pauli Iurisconsulti *in Sent. lib. 11. tit. 13. § 9.* *Seruus si mutuam pecuniam seruitutis tempore accepit ex ea obligatione post manumissionem conueniri non potest.* Facile me inde extricabo, cum enim tantum naturaliter seruus obligatur, ex ea obligatione actio nasci non potest, si tamen soluerit post manumissionem solutio rata est neque competit condicatio indebiti. Eleganter idem Paulus *in d. l. 13. de condic. indeb.* *Naturaliter etiam seruus obligatur, & ideo si quis eius nomine solvat, vel ipse manumissus (vt Pomponius scribit) ex peculio cuius liberam administrationem habeat repeti non*

## DE IVRE SERVORVM: 25

*non potest.* Sed multo grauius quid heic obici potest. Obligationem quancunque verbis in aliam transferre licet, eamque aut ciuilem, aut naturalem, perinde est: euidenter Vlpianus *in l. 1. D. de nouat.* A seruo autem etiam si quis stipulatus fuerit quod sibi ab altero debebatur, ei- que promiserit seruus; prior tamen obligatio manet, non secus ac si nullus postea promisisset § 3. *Instit. quib. mod. toll. obl.* Hunc nodum necdit Cuiacius Obseru. lib. VIII. cap. 11. quem me soluturum licet meis viribus non confidam; quod tamen in mentem venit, vtcunque fuerit, dicam. Vlpianus *d. l. 3.* ait *nouari verbis potest: dummodo sequens obligatio aut civiliter teneat aut naturaliter: vt puta si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit.* Non inde sequitur omnino naturalem obligationem alteri antiquiori superue- nientem eam tollere. Specialis mihi videtur esse ratio, cur seruo intercedente, quamuis hoc e- tiam in casu se naturaliter obliget, nulla tamen fiat nouatio. Illam rationem inuenies in verbis Iustiniani Imperatoris *d. § 3.* *Nouatio fit inter- uentu nouae personae, aut si eadem persona obligata fit a qua postea stipuleris.* Iam vero hic promit- tente seruo, nulla est persona: non enim ex per- sona domini hoc facit, quia eo inscio, & non de re peculiari se obligauit. Hujus distinctio- nis, quem producam, auctorem habeo Theo- philum. En tibi eius verba: Εὰν οἰνέτην τις ἐτε-

D patrīση

ρωτήσῃ τὸ ἔτερον χρέῳ, τηγικαῦτα ἡ περιέρχεται ἐνοχὴ μένει αἰσάλευτος ἐπὶ χήματος, ὥσταντι μηδεμιᾶς μετὰ ταῦτα γενομένης ἐπερωτήσεως. Καὶ μὴ τις λεγέτω ὅτι ὁ σικέτης Φυσικὸς ἐπερωτηθεὶς ἐνοχὸς γίνεται ἀμελεῖ καὶ οἱ δαύεντες ὑπὲπιτελοῦνται, καὶ Φύση οὐδὲ νόμῳ ἐνέχονται ἢ δὲ Φυσικὴ ἐνοχὴ νοβατζίων ποιεῖ δύναται ἀλλὰ δὲ τοὺς τόπους λέγειν, ὅτι ποιητανοβατζίων, εἰ μόνον τὸ τίμεσαν Φυσικὴν ἐνοχὴν ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπῆναι ποσόποιον ἀπόσωπος δὲ ποσοῖς νομικοῖς δέλτῳ. Si quis a seruo debitum alterius stipulatus fuerit, tunc prior obligatio immotamanet in eadem forma, non secus ac si nulla stipulatio subsecuta esset. Ne vero quis dicat: seruus a quo aliquis stipulatus est naturaliter obligatur, (utique ab eo dati intercessores & naturaliter & ciuiliter tenentur) naturalis autem obligatio nouationem efficer potest. Sed respondendum est ad illud, non sufficere ut naturalis obligatio nascatur, ad nouationem faciendam; sed etiam adesse debere personam: seruus autem apud Iurisconsultos personam non habet. Si iubente domino promisit seruus nullum dubium quin procedat expromissio. Pariter si de peculio. Exemplum dabo: Titius centum debet Maeuio, at Stichus totidem ex peculio debet Titio: si igitur Maeuius a Sticho centum illa stipuletur sicut nouatio; Titius scilicet liberabitur & Stichus Maeuio obligabitur. Ratio, quod tunc rem peculiarem gesserit, & ex persona domini procedat intercessio, quae alias nul-

la est. Non igitur mirum si pupillo promittente sine tutoris auctoritate procedat nouatio; utraque enim ibi adfuit requisita, & obligatio naturalis, & persona ciuilis. Porro Culacius loco allegato, ex l. 20. *D. de fideiuss.* docet, si seruus extra peculium, & inocio domino, fideiusterit & ex peculio soluerit, tamen domino competere conditionem indebiti: Indeque concludit, eo in casu, secundum Sabinianos saltim, vt ait, seruum naturaliter non obligari. Sed videamus. Rationem huius conditionis, quae domino competit, inuenio, argumento a contrario desumto in l. 49. *D. de pecul.* vbi dicitur, Si ignorante me seruus meus negotia mea administraverit, tantidem debitor mihi intelligetur quanti tenebatur, si liber negotia mea administrasset. Similiter seruus non iubente domino, vel extra causam peculiarem aliquid agens, verbi causa fideiubens, non magis obligat dominum ac mandatarius, qui praeter mandatum fideiuberet, quando mandantem non obligari certissimi iuris est. Seruus autem ipse omnino naturaliter obligatur, licet ea obligatio in seruo qua seruo nullum essestum habere possit, & quamdiu in servitute manet idem sit seruus obligetur an nullus. Attamen affirmare non dubitem ei; qui post fideiissionem ex peculio manumittatur, nullam prodesse indebiti conditionem. Contrarium certe ex d. l. 20. colligi non potest; ait quidem *D. 2.* ibi

ibi Iureconsultus *fideiussionis nomine seruum obligari non posse*; sed de ciuili & efficaci obligacione, quae actionem producat, intelligi id debet. Et recte sane, cum enim nec domini iussu, nec cum emolumento eius, nec propter peculium fideiussit, nulla ex actionibus quod iussu, de in rem verso, aut de peculio, quae contra dominum dari solent, competit, neque ciuiliter, neque naturaliter obligatur, adeoque pecuniam ex peculio datam iure condicere poterit. Deinde, etiam hoc in casu, quoniam personam non habet, perinde est seruus fideiussit an nullus? Aliud obtinet in filiosfamilias, tunc semper datur actio de peculio contra patrem; quamuis enim iniussu eius & extra rationes peculiares fideiussit, ciuiliter & valide obligatur, vtpote qui ciuilem habeat personam. De compromisso & iureiurando quod addit Cuiacius idem dicendum, quod de fideiussione. Quemadmodum Procurator sine expresso mandato de lite transigere non potest l. 60. *D. de Procurat.* adeoque nec compromittere, ita neque seruus domino inscio. Deinceps Procurator non potest iusurandum deferre, ergo multo minus seruus, qui, vt verbo rem absoluam, equidem acquirere potest domino obligationem; sed eum promittendo obligare nequit: quia melior per seruum domini conditio, non autem deterior, eo inscio, fieri potest. l. 133. *D. de R. I.* Atque hinc & in

in pandectis & in Institutionibus de stipulatione, nusquam de promissione seruorum agitur, vt recte obseruat Rittershusius ad ut. 17. lib. IIII. *Instit.* Seruus proinde, quae summa est huius stationis, qui extra rationes peculiares, & iniussu domini, quid egit, se ipsum quidem naturaliter obligauit; sed respectu domini, aut eius cum quo contraxit nihil egit quamdiu seruus manet; quia vt iam dixi, contractus seruorum omnem valorem sumunt ex domini consensu, aut expresso, si diserte iusserit, aut praesumto, si tem peculiarem administrauerit seruus, siue quum aliqua utilitas ad dominum e negotio gesto peruenit. Nunc vterius progrediamur & videamus an serui alios obligent. Extraneos domino per seruos valide obligari ex ante dictis abunde eluet. Dispiciendum possintne sibi ipsis aliquem naturaliter obligare, siue is dominus fuerit, siue non. De extraneo exemplum est in l. 14, *D. de obl. & att.* Si seruo, qui mihi mutuam pecuniam dederat, manumisso soluam, liberor. Si nulla obligatio liberatione non opus est. Conferri debet cum hac lege § 10. *Instit. de mandato:* vbi dicitur liberari quidem eum qui dispensatori manumisso, per ignoratiam, pecuniam, quam ab eo foenori acceperat, soluit; quamvis stricto iure non posset liberari, quia alii soluisset, quam cui soluere debuit. Distinguendum hic mihi videtur vndenam seruus extraneum sibi obligauit, an ex

re dominica? quam speciem esse illius paragaphi, ex Theophilo, & inde quod *Dispensatoris* mentio fiat, colligi potest; an ex re peculiari? Si ex re dominica profecto cum Iustiniano dicendum, stricta iuris ratione non liberari qui manumisso soluit; sed ei prodesse probabilem & iustum ignorantiam. Si ex re peculiari, rursus videndum, dominus seruo manumisso peculium reliquerit nec ne: si non reliquerit, idem obtinebit, quod in superiori specie; contra, si reliquerit, nullum dubium, quin prorsus liberetur seruo manumisso soluens. Dominum ipsum aliquando naturaliter seruo debere discimus ex Paulo *l. 38. § 3. D de condit. & demonstrat.* Sed imprimis egregia sunt Tryphonini verba in *l. 64. D. de condit. ind.* ea quod mirifice ad rem nostram faciant heic adscribere non refugio: *Si quod dominus seruo debuit manumisso soluit, quamvis existimans ei se aliqua teneri actione, tamen repetere non poterit; quia naturale agnouit debitum: ut enim libertas naturali iure continetur, & dominatio ex gentium iure introducta est. ita debiti vel non debiti ratio in conditione naturaliter intelligenda est.* Huc referri potest *χεῖσις* Euripidis qui in *Suppl. ys. 870.* inter boni viri laudes refert,

*Ανράυτον & δὲν & δὲν εἰς οἰκέτας ἔχων.*

*Qui nihil promisit, ne seruis quidem, quod non praefest.*

Mihi

Mihi forte opponet aliquis § 6. *Instit. de noxal. act.* *Namque inter dominum & eum qui in potestate eius est nulla obligatio nasci potest.* Sed hic, per obligationem, ciuilem esse intelligendam, ex frequentibus pater, vbi dicitur actionem inde nasci non posse; quae ex sola ciuili obligatione, nunquam ex ea quae naturalis tantum est, datur.

### C A P. VI.

De Iure vitae & necis, quod domini habebant in seruos.

**E**X his quae in superioribus tractauimus, clariussum in modum liquet seruos iure naturali vlos, indeque facile concludi posset eos promiscue interficere nunquam apud Romanos licitum fuisse; sed aliis adhuc argumentis, eo vnicce facientibus hoc adstruam. Constat antiquissimis temporibus admodum humaniter seruos a Romanis habitos fuisse, de aetate Coriolani sic loquitur Plutarchus in eius vita pag. 225. *D. καὶ γαρ ἐχεόντο πολλὴ τεσσερες τες οἰκέτας οὐπιεινεῖσθαι τόπε, ἀλλα αὐτεργίαν, καὶ τὸ κοινωνεῖν Δικτύης ἡμερώπερον ἔχοντες τεσσερες καὶ συνηθέσερον ἦν δὲ μεγάλη κόλασις οἰκέτας τῷημετέλεσάντο, εἰ ξύλον αἱμάξης* ῳ ḥ

ῷ τὸν ῥυμὸν ὑπερέιδεστι ἀράμενοι διεξέλθοι καὶ τὴν γειτνίασιν ὡς γὰρ τὴν παθῶν, καὶ ὁ φθεῖς καὶ τὸ σύνοικον, καὶ γειτόνων, τὸν ἔτι πίστιν εἰχεν. ἐκαλεῖτο δὲ Φρεγκίφερ. Ea enim aetate multa benignitate utebantur erga seruos; quia & ipsi operabantur, & eiusdem victus erant participes, ideo mansuetius & familiarius cum illis agebant. Magna autem erat poena serui delinquentis, si, sublato ligno currus, quo iugum suffulcunt, per viciniam obambularet. Cui enim hoc euenerat, & quem ita viderant contubernales atque vicini, ei nulla amplius fides habebatur. Vocabatur autem furcifer. Hinc, ad contumeliam, quae seruili nomini inerat, euitandam, eos olim familiares vocabant. Seneca epist. 47. Ne illud quidem videtis quam omnem inuidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint? Dominum patrem familiae appellauerunt, seruos familiares. Quae ad verbum ex Seneca descriptis Macrob. Sat. lib. I. cap. II. pag. 194. Confer P. Fabri Semestr. lib. IIII. cap. 15. pag. 217. Idem fere factitatum ab Heracleotis, refert Athen. lib. VI. pag. 263. E. quibus cum se in servitutem deditissent Maryandyni eos honesta appellatione δωροφόροις nominauerunt. Ita vulgo legitur apud Dipnosophistam; sed non capio cur dicti fuissent δωροφόροι dona portantes. Existimem scribendum δωροφόροι, bastigeri, id est satellites, corporis custodes, eaque lectio inuenitur in omnibus antiquis I. Pollucis editionibus lib. IIII. § 83.

Est

Est quoque nomen serui in inscriptione apud Gruterum pag. 1002. n. 10. Pari pacto Sicyonii habebant suos κορυνηφόρους, clavigeros. Sed et diuerticulo in viam redeo. Valde inducor ad credendum Romanos nunquam pro lubitu seruos occidisse, quoniam nusquam in ipsorum historiis inuenio mancipia graui morbo aut vitio laborantia imperfecta fuisse; licet aliquando nullius pretii fuerint, qualia memorantur in l. 43. § 6. ad Ed. Aedil. In familia aetate defectos, furdos, caecos, mutos & furiosos reperiri liquet e l. 3. § 7. 8. 9. 10 & 11. ad SC. Silanian. Hi autem serui vocantur onerosi, l. 8. § 4. D. mandati. Quin vituperatum in Catone Maiore, cum seruos propter senectutem ad labores sustinendos impares distraxisse: Plutarch. in ejus vita pag. 338. E. Quid si eos trucidasset? Postea sub Caesaribus, cum quidam forte seruos morbosos interficerent, constituit Claudius apud Sueton. in ejus vita cap. 25. Quod si quis necare quem mallet, quam exponere, caedis crimine teneri. Si dominis non fecus ac pecudes seruos interimere permisum fuisse; cur quaevo in lege Iulia de adulteriis, seruus etiam numeraretur inter personas quas marito occidere licet, si eum deprehenderit uxorem suam adulterantem l. 24. pr. D. de leg. Iul. de adult. hoc profecto tunc inutile foret. At vero ex ipsa natura seruitutis apud Romanos colligo non omnia dominis in seruos licuisse: ait enim Gaius, l. I. § 1. E D. de

*D. de his qui sui & al. iur. potestatem dominicam esse iuris gentium, id significat, ut recte exponebit Noodtius, in commentario ad h. t. illam potestatem relictam in simplicitate iuris gentium non accepisse formam nouam a iure civili: atque iure gentium non magis seruum innocuum quam hominem liberum interficere licet. Euripid. in Hecub. vs 291. de Graecis.*

Νόμος δὲ ἐν υμῖν τοῖς τὸ ἔλευθέρωις ἵστος,  
Καὶ τοῖς δάλοις καταίμαται οὐδεὶς.

*Lex eadem apud vos de liberorum hominum  
Et de seruorum caede obtinet.*

Male Auellanus, qui locorum restitut. & explicat. cap 23. ex hoc loco ostendere satagit legem fuisse apud Graecos, qua hostes bello capti vetantur interfici; cum tamen Euripides loquatur de iis qui jam in seruitutem redacti sunt, & quocunque tandem modo. Omnia enim seruorum genera vocabulo δάλος continentur, si de bello captis haec tantum intelligi voluisset Tragicus, pro δάλος scripsisset αἰχμαλώτες aut δεριαλώτες. Ad negotium nostrum redeo. Haec si ita se habeant inquiet aliquis, quidnam erit ius illud viatae & necis, quod ciuibus Romanis in seruos suos competitabat? Dicam breuiter quod res est. Primi patresfamilias cum constituerent aliquam rempublicam Regibus aut magistratibus mandantes curam publicorum negotiorum, quisque domi

mi suae sibi reseruabat de vxorum, liberorum seruorumque suorum delictis cognoscendi, & in ea animaduertendi potestatem. Hoc etiam factitatum a Romanis. Si roges cur legibus Romuli firmata quidem sit patria potestas non autem dominica respondebo, quae est coniectura Abr. Wieling, praceptoris mei, in causa esse paupertatem veterum; qui & seruis parcissime vtebantur & captivos denotabant civitate: nam & in sequentibus temporibus unicum habuerunt, qui ab heri sui nomine Lupi por, Marcipor &c. appellabatur, ut notissimum est. Eadem vero religione domestica illa patrumfamilias iurisdictio exerceri debebat qua publica. Grotius de Iur. Bell. & Pac. lib. III. cap. 14. § 3. Thomasius Dissert. de usu pract. tit. Instit. de H. Q. S. V. A. I. § 15. Apposite Seneca de Benef. lib. III. cap. 18. Nam si seruo, quo minus in nomine meriti perueniat, necessitas obest & patiendi ultima timor: idem istud obstat, & ei qui regem habet, & ei qui ducem: quoniam sub dispari titulo, paria in illos licent. Videntur autem aliquando patresfamilias in rebus grauioribus in consilium aduocasse cognatos, amicos aut vicinos. V. Dionys. Halic. Ant. Rom. lib. II. pag. 88. vs 14. Seneca de Clement. lib. I. cap. 15. & Valer. Max. lib. V. cap. 8. exemplo 2. Imo aliquando ipsam familiam, Plutarchus, quem citat Grotius, in Cato Mai. pag. 349. A. Τὰς ἄλιον εἰργάδες την θάνατον δοξάντας, ἑδναῖς περιθέτας εἰ τοῖς πᾶσιν,

*ei ualayva Dei.* Qui videbantur aliquid morte piandum perpetrasse, eos morti condemnabat si ab omnibus confervis iudicati, damnati forent. Simile quid inuenio in Petronio cap. 53. *Iam reus factus dispensator, & iudicium inter cubicularios aetum.* Aliquando mandabat dominus iurisdictionem suam, in vrbe actori, seu dispensatori, Petron. cap. 30. *Dispensatorem deprecati sumus seruo remitteret poenam. & ruri villico, Cato dere rust.* cap. v. *Si quid deliquerit familia pro noxa bono modo vindicet villicus.* Iniuria igitur multi, inter quos & Pignorius de Seru. pag. 13. ius vitae & necis dominorum sanguinarium & immane praedicant: nullo enim pacto, aequitati aut iuri naturali repugnat. Heineccius *Ant. Rom lib. 1. tit. 8. § 2. in nota.* Haud inficias iuero dominos crudeles & malos, eo in perniciem seruorum abuti potuisse; sed quae res adeo est sancta, quam non impurae manus polluant? Vidimus Romanorum, antiquis temporibus, erga seruos benignitatem, & in exercenda domestica iurisdictione aequitatem, quae maxima videtur fuisse ante tempora bellorum Punicorum, quando serui rari erant, & potissimum Itali. Postquam vero, deuictis exteris nationibus, fines Imperii sui longe lateque propagarunt Romani, in immensum auctus est seruorum numerus, qui hostili adhuc contra dominos animo praediti, vt aliquis diceretur habere tot hostes quot seruos, & non solum contra dominos;

nos; sed contra ipsam rem publicam, ita vt crebro turbas mouerent, & tantas quidem, quae in exitiosa pene bella erumperent, propter frequentes illas seditiones inuisi, solito durius sunt habiti. Quin cum mollities & luxuria, ingenti vitiorum caterua stipatae se in rem publicam insinuassent, & bellorum ciuilium licentia quibuscumque sceleribus impunitatem praestitisset, domini crudeliter prorsus & inhumane seruos tractarunt. Leibus & nullis fere de causis miseris in crucem agere, & saepe animi oculosque oblectandi causa bestiis dilaniandos obiicere non dubitauerunt. Adeo ut tunc recte iis applicari potuerit illud Lactant. *Divin. Instit. lib. vi. cap. 20. § 14.* Non parcunt etiam innocentibus; sed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt. Et tunc etiam inter vulgaria iura obtinuit in seruum nihil non domino licere. Agnoscis verba Senecae *Controvers. xxxiv. pag 217.* Ea autem atrocitas iustitiae speciem praeferebat, & domini vi suae iurisdictionis domesticae seruos commeritos ita punire censebantur. Etenim si semper constitisset de innocentia miserorum horum mancipiorum, quidni dominus aequi ob seruum inhumaniter trucidatum plecteretur, ac ille qui alienum interficerat. Sed nemo presumebatur rem propriam animi causa corrumperem, aut eius sponte sua iacturam facere velle. Idem vero in hac iurisdictione domestica obtinebat, quod in publica;

etiam si iniquam sententiam tulisset paterfamilias, tamen ius dixisse existimabatur. Republica postea demum sub Augusto pacata, coeptum est obuiam iri effrenatae illi dominorum licentiae, & primo quidem, ni fallor, lege Petronia, qua de agemus in sequenti capite.

## C A P. VII.

## De lege Petronia.

**N**on vna sententia est Eruditorum de aetate legis Petroniae, sed doctrina & diligentia H. Noordkerkii effectum mihi videtur, ut maxime probabilis sit ea, quae tempus legis huius ferendae ad Augusti principatum reicit. Idem Noordkerkius varias proponit conjecturas de eius auctore occasione & materia, quae apud ipsum videri queunt *cap. III. § 8. & sequent.* Paucula quae sese mihi obtulerunt, vtut fuerint in medium proferam. Occasionem legi dedisse hariorum historiam Androcli, quam narrat Aelian. *de animal. lib. VII. cap. 48.* & Gell. *lib. V. cap. 14.* Accidisse autem sub Augusto e Gellio coniicio. Androclus ille, publice interrogatus a Caesare, qui ludos exhibebat, cur leo contra eum emissus ipsi pepercisset, narrat, domini inquis & cottidianis verberibus ad fugam ada-

## DE IVRE SERVORVM. 39

adactum in deserta Africae loca sese contulisse, ibique leoni huic consueuisse: e fuga autem retractum, dominoque redditum, ad bestias ab eo condemnatum fuisse. Populus, qui vt feruitatis vinculo & poena solueretur, obnixe flagitando efficerat, domini crudelitate permotus, agnitaque eius iniustitia, forsan occasionem dederit Tribunis Pl. Plebiscitum condendi, ab eo, cui haec Provincia, siue forte, siue collegarum consensu obtigerat, denominatum, quo dominis interdiceretur vltra arbitrio suo seruos bestiis obiicere. Iam suboluit, quae eius sagacitas est, Noordkerkio non legem esse ita propriam dictam, sed Plebiscitum. Attamen non ostendit aliquem ea aetate Tribunum Pl. fuisse, cui nomen Petronio. Talem mihi inuenisse videor in fragmendo SC. conditi occasione ludorum saecularium ab Augusto editorum, quibus ipsis forte historia Audrocli accedit. Fragmentum illud est apud Gruterum *thes. inscript. pag. 328.*

S. L. CESTIUS. L. PETRONIUS. RV.  
V. F. LVDOS. SAECVLARES. POST.  
COMPLVR.  
PPA. TRIBVNIC. POTESTATE. FVTROS. QVO.

Per Ludos saeculares hic intelligendos esse ab Augusto editos ex Consulibus C. Silano & C. Furino, qui in fine SC. nominantur, manifesto liquet,

quet, & nemo dubitare poterit, qui legerit apud Censorin. cap. v. pag. 23. *Quintos ludos (saeculares) Furnio C. Iunio Silano cof.* 737. *Caesar Augustus & Agrippa fecerunt.* At vero difficultatem hic pariet quod vulgo dicatur legem Falcidiam latam A. V. 713. ultimum Plebiscitum fuisse: verum enim uero, cum ea opinio nullum veterum, quod sciam, auctorem habeat, efficere non poterit quominus Petronianum Falcidiano recentius Plebiscitum esse queat. Grauius erit quod alii forte obiicient, post Principatum ab Augusto capeſſitum nulla populi concilia, in quibus Plebiscita rogaſentur, habita, aut si adhuc fuerint, ab Augusto, vtpote Tribuno pl. perpetuo, & primario, Plebiscita esse denominanda. Quod ad prius illud attinet ea adhuc aetate fuerunt comitia populi ſolius, ad creandos magistratus plebeios, tribunos verbi cauſa, indeque dicta ſunt *comitia Tribunitia*, quorum meminit Sueton. in Aug. cap. 40. Quae cum eodem ritu & eadem ratione conuocarentur, qua comitia tributa legum ferendarum cauſa, non video, cur haec non aequa potuerint haberri, & Plebiscita in iis condi. Ad posteriorem difficultatem: non inficias eo Augustum fuisse primarium & perpetuum Tribunum Pl. Sed nihilominus ubi rogatio ad populum ferenda erat more maiorum forte, aut collegarum consensu vnum Tribunorum electum, a quo deinceps denomi-

nominaretur Plebiscitum, dicere quid vetat. Nihil autem hoc facto derogabatur auctoritati Caesaris Augusti, qui potissimum ideo tribunitiam potestatem ſusceperebat, vt facroſanctus eſſet, & appellantibus intra pomoeria, additum ipſi ſpeciali priuilegio primum miliare, ſuccurreret. Rechte id obſeruat Casaubonus ad Sueton. Octau. cap. 27. Ergo facile Petronio concedere potuit Augustus, vt hanc legem ferret, & a ſe diceret Petroniam. Quid cautum fuit lege Petronia nemo facile affirmauerit, nec clare indicat Modestinus in l. II. § 2. D. ad leg. Corn. de Sic. Post legem Petroniam & SC. ad eam legem pertinentia, dominis potestas ablata eſt ad bestias depugnandas ſuo arbitrio feruos tradere; Oblato tamen iudici feruo ſi iuſta ſit domini querela ſic poenae tradetur. Saepius laudatus Noordkerkius pag. 106. autumat lege Petronia tantum, in genere domino rum ſaeuitiam coabitam ab Augusto. Quod cum ipſe haefitabundus proponat, non, credo, aegre feret ſi in diuersas partes eam, & autumem eo Plebiscito veritum fuisse ne domini feruos ſuo arbitrio bestiis obiicerent, atque id vnicę reliqua enim, quae ad ſaeuitiam, proſtitutionem, grauiorum criminum coērcitionem, & ius laniſtae vendendi pertinent, deinceps addita videntur Senatusconsultis ad eam legem pertinentibus. Si roges cur tantum de feruis bestiis non obiicendis hac lege cautum putem, dicam: ea quam

hariolatus sum legis occasionem fuisse coniecturae isti ansam praebet, & praetera pugna cum bestiis omnium frequentissima erat seruorum poena. Addo rationem. Domini hoc patet simul avaritiae, iracundiae & delectationi suae inserviebant. Avaritiae, quia seruos illos vendebant: Modestinus *d. l. § 1. seruo sine iudi- ce dato, non solum qui vendidit, poena, verum & qui comparauit tenebatur.* Iracundiae, queniam seruus ita crudelissimum mortis genus subibat. Delectationi denique: dominus ipse quoque spectaculo interesse poterat, & seruum a fera lanatum oculis usurpare, qua re homini Romano, qui panem & Circenses anxius optabat, nil gratius aut incundius. Cum igitur propterea domini admodum faciles essent in seruis ad bestias dandis, & insuper casus Androcli populi indignationem excitasset, hoc duntaxat lege Petronia effectum videtur, vt domini impedirentur seruos arbitrio suo, id est proprio & domestico iudicio, arenae damnare. Si Noordkerkius ex Suetonio mihi opponat Vitellium vnum e seruis lanistae vendidisse, in promptu erit responsio, hoc nimur salua lege Petronia fieri potuisse, qua nihil ea de re constitutum fuerat, idque demum factum Senatusconsultis ad eam pertinentibus, temporibus Adriani, teste Spartiano *in eius vita cap. 18.* Quaenam porro poena nostro illo Plebiscito, an vero prorsus nulla statuta fuerit,

iux-

iuxta cum ignarissimis scio. Sequentibus temporibus eo deuenit res ut prorsus ablata dominis fuerit domestica iurisdictio, quod scilicet ad ius occidendi seruos attinet, Caius *Inst. lib. 1. tit. 3. § 1.* Occidendi seruos suos domini licentiam non habebunt. Id quoque ab Adriano esse adseuerare non dubito, quippe qui auctores allegare possim maximi nominis viros, Cuiacum *Obseruat. lib. vi. cap. 17.* Pithoeum *ad collat. leg. Mos. & Rom. tit. 111. § 3. num. 11.* Fornerium *rer. quotid. lib. 11. cap. 29.* Bynkershoekium *in Opuscul. pag. 165.* Quibus nescio an addam Oizelium, *ad Caium loco supra dicto.* Ipsi id potissimum ex Spartiano affirmant *in vita Adriani cap. 18.* Seruos a domini vetuit occidi, eosque iussit damnari per iudices digni essent. Difficultates, quas aliqui hic habent propter *l. 53. § 3. D. de legat. 1. & l. 96 D. de V. S. recte infringit Noordkerk pag. 117.* Antoninus vero Pius voluit eandem poenam esse domini, qui seruum, non in iudicio auditum, occidisset sine causa, ac extranei *l. 1. § 2. D. & § 2. Inst. de H. Q. S. E. A. I.* Et Paulus *in collat. leg. Mos. & Rom. tit. 111.*

## C A.P. VIII.

## A quibus serui iudicati fuerint.

**V**idimus dominis ius seruos suos iudicandi, eosque non tantum bestiis obiciendi, verum etiam quoquis modo occidendi ablatum esse. Dispiciamus nunc ad quos haec iurisdictio pertinuerit: etenim secundum M. Senecam *Controv.* xxv. pag. 176. *Ne de seruo quidem, omni loco, aut omni genere, aut per quos libebit, aut cum quibus libebit, supplicium sumi fas est. Adhibeturque ad ea magistratus ob custodiam non laetitiam.* Non omnium fuit Magistratum seruorum crima, grauiora intelligo, vindicare. Municipalibus certe non licuisse docetur in l. 12. *D. de iurisd.* Modica tantum castigatio, quae & dominis, illis competebat. Imo si a Magistratu Municipalita caesus fuerit seruus ut decedat, acquiri domino actionem legis Aquiliae constat e l. 17. § 2. *D. de iniur.* Vide Noodtium *ad leg. Aquil.* cap. vi. pag. 145. Praefecto Vigilibus seruos ultimo supplicio afficere licuerit nec ne, ambigitur, affirmat Cuiacius in *explic. Nou. XIII.* & Faber *Rational.* ad l. 3. § 1. *D. de offic. Praef. Vig.* Negat Noodtius *Probab. lib. II. cap. 5.* quem sequitur Schultingius in *enarrat. D. lib. I.*

tit.

*tit. 15.* Sed ignoscant vtriusque viri manes, si non pedibus iuero in eorum sententiam. Ad eam firmandam Noodtius adfert l. 3. § 1. *D. de Offic. Pr. Vig.* vbi dicitur cognoscere de furibus, incendiariis, effractoribus & raptoribus; nisi tam atrox & famosa fuerit persona vt Praefecto Vrbi remittatur. Sed ipsissima illa verba mihi videntur contrarium evincere: *incendiarii enim morte plectuntur,* Paulus *Sent. lib. v. tit. 20.* & l. 48. § 12. *D. de poen.* *Effractores aliquando in metallum detruduntur l. un. § 2. D. de effract.* & l. 48. *de bon. lib.* At, inquiet, non de famosis & atrocibus personis cognouit Praefectus Vigilibus: verum hoc est, & talis fuit Eques ille ταυχόπυχος, qui effracto alieno pariete pecuniam abstulerat, quem D. Marcus ideo per quinquennium Vrbe, Italia & Africa abesse iussit l. unic. § 2. *D. de effract.* nihil tamen hoc impedit quominus serui potuerint a Praefecto Vig. capite mulctari. Porro inferent in l. vlt. de *Pr. Vig.* diserte docere Vlpianum ex rescripto Seueri & Antonini eos qui conuicti fuerint dolo malo incendium fecisse, ad Praefectum Vrbi remittendos, imo etiam fugitiuos dominis esse restituendos; Quod ad prius attinet, quamuis in praecedentibus mentio facta fuerit insulariorum, qui serui erant, ad eos illud referri non debere; sed ad liberos duntaxat homines, de quibus itidem loquuntur Imperatores, omnino existimem. De

F 3

fugi-

fugitiuis: hoc omni difficultate vacat; nam & Magistratus qui in Prouinciis merum Imperium habebant, & in cuiuscunque conditionis homines ius gladio animauertendi, leguntur fugitivos a se deprehensos dominis restituisse. Hinc Cicero ad Proconsules P. Vatinium & P. Sulpicium scribit, vt si qua Dionysium seruum fugituum eruere possint, ipsi restituendum curent. *lib. v. epist. 10 & 11. & lib. xiiii. epist. 77.* Conuenienter rationi dominis reddebantur fugitiui: cum enim soli damnum domesticum passi essent, ipsorum quoque arbitrio permittendum erat vel lentne seruum castigare, an fugam condonare. Tunc quum domestica iurisdictio dominis maximam partem iam ademta erat; tamen eis adhuc remittebantur fugitiui, nisi pro liberis se gessissent; quia eo in casu grauius coerceri solebant, quam vt domini poenam infligere possent *l. 2.* *D. de seru. fugit.* Sed vt ad Praef. Vig. redeamus, dicam verbis Corn. van Bynkershoek; cuius maxima, sicut apud omnes, ita quoque apud me, auctoritas est, *lib. 11. Obseru cap. 4.* *Animaduertisse & in seruos fures, etiam capitaliter, forte & in quoscunque viiores, omnesue qui in facinore deprehensi sunt.* Inde igitur, quod tantum capitaliter in seruos, aliquo in facinore deprehensos, animaduerterint, sequitur non coram his dominos ob domestica crimina seruos suos accusasse, vtut haec iurisdictio ipsis propria videri pos-

posset, propter curam familie publicae quae ipsis demandata erat, cui imperasse, cuius etiam, si qui peccauerant, delicta vindicasse, rationem dubitandi non video. Si non Praefecti Vig. errantne ergo dominis adeundi Triumuiri Capitales? Eos refert Asconius, *ad Cicer. Diuinat. pag. 36.* de vilioribus hominibus & de seruis, ad columnam Maenianam supplicium sumsisse. Fannii seruum a Triumuiro in crucem actum narrat Val. Max. *lib. viiiii. cap. 4. § 2.* Nomen horum Triumuirorum falsos, pro more, iocos suppeditat Ciceroni *ad famil. lib. vii. epist. 13.* Sed neque ad Triumuiros dominos se contulisse existimem. Tantum videntur poenas ab eis exegisse, quos publici criminis aliquid patrantes deprehenderant. Et iam ante legem Petroniam illis hanc potestatem fuisse ex Asconio colligere datur. Haud profecto iniuria: nam ne tunc quidem quum maximie illibata erat Romanis domestica iurisdictio, videtur patribusfamilias licitum fuisse de publicis liberorum, aut seruorum flagitiis, vbi vellent cognoscere. Quosnam Magistratus tandem dicemus de seruis a domino accusatis statuisse: id nos docet Vlpianus *in l. 24.* *D. de pignerat. act. Plane si pro maledictis (seruum) coercuit, vel vinxit vel obtulit Praefecturae, vel Praesidi.* Res igitur haec Romae pertinebat ad Praefectum Vrbi, & in Prouinciis ad Praesidem. Si plures auctoritates desideras eas tibi

tibi subministrabunt Pithoeus *ad Coll. leg. Mof.*  
*& Rom. pag. 743. num. 1.* & Noordkerkius *Dis-*  
*quis. de lege Petr.* pag. 104. Huius bona cum  
venia liceat mihi dubitare iam Augusti tempori-  
bus prouinciam hanc Praefecto Vrbi demanda-  
tam esse, locus certe Taciti *Annali vi. cap. 11.*  
id non demonstrat: agitur enim ibi de Magi-  
stratu qui insolentiam & turbidum seruorum ani-  
mum reprimet, non autem de criminibus eo-  
rum, si a dominis accusati essent, inquireret.  
Seruos tamen a dominis crudelius habitos, & ad  
statuas aliae loca, vnde eos religio abstrahe-  
re vetabat, fugientes, iam Augusti, aut sal-  
tim Tiberii aetate a magistratum quodam,  
forsitan a Praefecto Vrbi, extra ordinem iudica-  
tos, & alteri domino addictos fuisse, si verae  
eorum querelae essent, colligo ex M. Seneca  
*Controv. xxv. pag. 176.* & L. A. Seneca *de Ben.*  
*lib. 111. cap. 22.* Ab Adriano autem usque ad  
aetatem Antoninorum, videntur domini, si  
quid grauius serui patrassent, adiisse Praefectum  
Vrbi aut Praesidem, qui videret, effetne scelus  
morte piandum, quod si ita iudicasset, dominis  
liberum fuisse genus supplicii, quo afficiendus  
erat, eligere: siue bestiis obiicere, siue in cru-  
cem agere, siue alio modo interficere vellent.  
Mutatum hoc est a D. Fratribus, qui non suffi-  
cere existimantes seruos a iudicibus, ad id con-  
stitutis, facinorosos & morte dignos pronuntiari,  
iussent insuper ut ab iis quoque poena deter-  
mina-

minaretur, si forent E. G. arenae mancipandi,  
nec alias id dominis licere. Elio hoc e Mar-  
ciani verbis in l. 42. *D. de contrah. emt. Domini*  
*neque per se, neque per procuratores suos, posse*  
*saltem criminosos seruos vendere ut cum bestiis pug-*  
*narent:* & ita D. Fratres rescriperunt. Multi se  
torserunt quomodo in concordiam redigerent  
cum Marciano Spartanum, rati idem hic D.  
Fratribus attribui, quod Spartanus Adriano.  
Sed Ant. Faber hanc inter utramque Constitu-  
tionem differentiam inuenit, quod Adriani tem-  
poribus tantum dominis ipsis vetitum fuerit ser-  
uos ad bestias vendere, Diuos autem Fratres e-  
tiam ne per Procuratorem fieret interdixisse. Ar-  
gutam nimis, vt quam mollissime dicam, inter-  
pretationem? Si Adrianus dominis hoc vetuit,  
intelligitur profecto etiam vetuisse eorum Procu-  
ratoribus, perinde enim est tale quid per se ali-  
quis faciat, an alteri faciendum mandet. Et si  
vera fuerit Fabri explicatio nihil prorsus sua Con-  
stitutione effecit Adrianus. Deinde multo mi-  
nus extraneo seruum ad bestias vendere licebat  
quam domino: vt enim supra vidimus, caedes  
serui ab eo facta lege Cornelii de sicariis vindica-  
batur, quum dominus ex aduerso iure & merito  
seruum interfecisse praesumeretur. Aliam obser-  
vationem tradit Noordkerkius pag. 123. quam  
ne molestum ei sit si meam facere nolim. Eam  
respue re videtur vocula *saltem*, quae, quod sci-  
G am,

am, pro ne quidem nunquam usurpat. Denotat hic *duntaxat*, *tantummodo*. Fateor equidem illam verbi potestatem aureae & argenteae aetatis scriptoribus incognitam esse; sed nemo est qui eam in Iureconsulto nostro non ferat, vbi relinuerit illa significatione vocabulo usum Quintilianum. *Declam.* 296. *Non licuit saltem in patria, non in domo sua, extremum illi spiritum effundere: sed quod contumeliosissimum, manibus parasiti, & impune occisus est.* Ceterum Marciani verba, si nostram distinctionem admittas, omni difficultate sunt vacua, & nulla ex parte Sparianio aduersantur. Seruos porro dominis aliquando redditos ut poenam a iudice praescriptam illis infligerent constat e l. 16. § 1. *D. de public.* & *vectig.* *Si quis improfessus seruus fuerit, & probabitur in commissum cecidisse, & aut uxorem corruptisse domini dicatur, aut aliud quid grauius admis-isse, ut cognoscat procurator: & si in his causis esse compertus sit, aestimetur, & in poenam domino tradatur.* Adde l. 38. § 4. *D. de poen.* Definita erat a magistratu poena ex Constitutione D. Fratrum: neque maiorem dominus seruo impone-re poterat l. 5. *D. de manumiss.* *Is seruns, qui hoc intenderit, nec impleuerit, in opus metalli detur; nisi forte dominus reddi eum sibi maluerit, utique non maiorem ex ea causa poenam constituturus.* Forte etiam dominis, quod patribus, in grauioribus filiorum delictis, concessum est, ut iudici prae-fcri-

scriberent sententiam l. 3. *Cod. de patr. pot.* modo non in alterutram partem nimis vergat, neque sit iusto durior, neque iusto remissior. Sed haec mera hariolatio est.

## C A P. I X.

Quibus modis dominis licuerit seruos castigare.

**D**ominis penitus ablatam seruos occidendi potestatem, & grauioribus in causis Magistratus illis adeudos fuisse, iam ni fallor, clare euictum satis. Si roganti tibi, quaenam pars dominicae potestatis ipsis sarta recta remanferit, cum Caio, aut si mauis Aniano, *Instit. lib. 1. tit. 3. § 1.* respondeam: *Distringendi in seruos dominis pro sua potestate permittitur, occidendi tantum seruos suos domini licentiam non habent, monstri aliquid hic latere suspicaberis.* Anianum quid omisisse, aut vocabulum licentia subaudiendum existimat Schultingius. Sed ellipsis durior est quam vt vel in Aniano, barbaro quantumvis scriptore, locum habere possit. Non ita magna mutatione sensum omnein, e verbis illis antea exulantem, reuoco, legendo: *Distringendi in seruos dominis prorsus potestas permittitur: occiden-*

*di tantum &c.* Vide in posteriori commate *tantum* opponi verbo *prorsus*, quod in priori restitutimus. De modis quibus domini seruos nequam castigare solent: huc pertinet cum illos dicuntur *in agros relegare*, Petron. cap. 53. *Atriensis Baias relegatus.* Quod recte adductis e iure exemplis explicant Raeuardus ad l. 157. *D. de R. I.* Pagan. Gaudentius *Iurid. exposit. lib. I. cap. 18.* & Burmannus *ad dictum Petronii locum, & iterum ad cap. 19.* ad opus rusticum in ergastulum amandare. Erat ergastulum *rusticus carcer*, vt vocat Iuuenal. *Sat. xiv. ys. 24.* & ne, in eo inclusa mancipia erumperent, firmissimi & munitissimi operis esse debebat. Colum. *dere rust. lib. I. cap. 8. pag. 129. ys. 15.* & *lib. XI cap. I. pag. 333. ys. 40.* Non vero ad quodus opus rusticum adhibebantur serui illi in ergastulo vincti: terram praeccipue fodiebant. Ouid. *Trist. lib. IV. eleg. I. ys. 5.*

*Hoc est cur canet vinctus quoque compede fossor.*

Lucan. *lib. VII. ys. 487.*

*Vineto fossore coluntur  
Hesperiae segetes.*

Et Iuuenal. *Sat. XI. ys. 79.*

*Squallidus in magna fastidit compede fossor.*

Quem

Quem versum ideo allego quoniam male T. Popma *de Oper. seru. pag. 148.* eum Propertio tribuit, eundemque errorem errauit Dion. Gothofredus *ad l. 7. § 7. D. de dolo malo* vbi multa de compeditis inuenies, quae eadem etiam, ne demto quidem aut addito verbo, habet Popma loco laudato. De ianitoribus, qui etiam catenis alligabantur vide *Pignorium de seru. pag. 448.* & Raeuardum *Var. Lect. lib. V. cap. vlt.* Opposizione facta ad hos compeditos, seruorum, qui custodiri non solent, meminit *Vlpianus in l. 23. D. de R. I.* Qui si fugiant inter casus fortuitos id referti solet, quum in vincitis contrarium obtineat, qui semper diligenter custodiuntur. Imo tunc, quando nimio labore defatigati, uno alteroue die in valetudinario decumbunt, *sub custodia quiescere debent*, vt loquitur Columella *lib. XII. cap. 3.* Sed, dicit aliquis, qui ius occidendi seruos dominis ademit idem ille Adrianus ergastula fustulit si fides Spartiano *in eius vita cap. 18.* Ergastula seruorum & libertorum tulit. Fateor, non leuis ex hoc loco oritur difficultas. Verum enim uero Salmasius, pro more suo, eruditus in commentario ad Spartianum, demonstrauit post Adrianum publica exstissee ergastula, tam liberorum, quam seruorum ut notat Iac. Gothofredus *ad l. 8. Cod. Th. de Tiron.* & *l. 3. de poen.* Quorsum refero *l. 2. Cod. de sepulcr. violat.* Primita quoque adhuc fuisse liquet ex Ambrosii lo-

co, a Lipsio, Racuardo, Fabro aliisque allegato. *Plerique dinitum amandare consueuerunt mancipia sua, & in agellulos relegare: atque haec poena grauior existimatur, & ego mihi videor e iure nostro euincere posse.* Non quidem ipsum ergastuli nomen apud Iurisconsultos reperitur; sed per necessariam consequentiam elici potest illorum tempore ea superfuisse. Dominis post Adrianum seruos commeritos stigmata notare, (imo post Constantium, qui *l. 2. Cod. Theod. de poen.* & *l. 17. Cod. Iustin.* eod non haec stigmata aboleuit ut vult Pignorius *de seru. pag. 31.* sed liberorum hominum in ludum, aut in metallum publico iudicio damnatorum, quemadmodum recte docet Gothofredus.) & in vincula coniicere licuisse, colligo ex constanti obseruantia legis Aeliae Sentiae, qua serui a domino vinceti, torti aut stigmate iniusti, a Romana & Latina libertate arcentur, & si manumittantur Dedititorum loco habentur. Nihil hac re notius, & omnes sciunt Iustinianum illam inter libertos differentiam, quamuis iam fere obsoletam, penitus sustulisse. Iureconsulti Caius, Vlpianus aliique Adriano recentiores, & omnibus illis recentior Claudianus mentionem faciunt stigmatiarum & compeditorum, eosque nunquam iure ciues fieri docent. Claudiani folius verba adferam *e. lib. 11. vers. 343. in Eutropium.*

*Pars*

*Pars humili de plebe duces, pars compede suras  
Cruraque signati, nigro linentia ferro.  
Iura regunt; quamvis facies inscripta repugnet,  
Seque suo prodat titulo. - - - -*

Cum vero inde certum sit dominis post Adrianum seruos stigmata notare & compeditibus vincere integrum fuisse, nec videantur compediti isti prorsus desides fuisse, quin potius probabile fiat ad opus grauissimum, ad terram fodiendam, & si quae alia ruri difficultia ministeria sunt, adhibitos: vbicunque autem quindecim erant vinciti ibi & ergastulum, teste Apuleio, necessario inde sequitur etiam post Adrianum mansisse ergastula. At quis τον μακριτην Schultingum (ab eo forte non dissentit Lipsius, *Elect. lib. 11. cap. 15.* qui distinguit inter noxia & innoxia ergastuli mancipia; sed non probat) secutus negabit, fossores illos poenae causa vinclatos, & proinde manumisso, non deditiam, sed Latinam, vel Romanam Libertatem confecutos esse. Repono, seruos non solum in ergastulo compeditos fuisse Colum. *lib. xi. pag. 333. ysl. 40.* verum etiam vt plurimum, ne dicam semper, faciem inscriptam habuisse. vt liquet e decantatissimo Petronii loco *cap. 65.* vbi Tryphaena, litteras in fronte Gitonis & Encolpii videns, sciscitatur. quod ergastulum errantes interceptisset: certo indicio noxios tantum seruos ad opus rusticum in ergastulum detru-

detrudi. Similiter & in pistrinum: Dio Chrys. *Orat. xiv.* pag. 233. *D.* Εμοὶ μὲν σφίδρα δοκεῖ ἄτοπον, εἰ πέιδας ἔχων τις: οὐτειγμένος. η̄ τὸ μέλλον ἀλλά, ἐλεύθερος ἔσαι μᾶλλον τὰ μεγάλα βασιλέας. Miki valde absurdum videtur compeditum, stigmatiam, in pistrino molentem, Rege Persarum magis liberum affirmare. Sed clarius adhuc idem liquet ex aliis bene multis veterum scriptorum locis, idem uno ore testantium. Paucula delibabo. Plin. *Hist. Nat. lib. xviii. cap. 3.* At nunc eadem illa (rura) vineti pedes, damnatae manus, & inscripti vultus exercent. Columella *lib. i. cap. 8.* pag. 129. Illa solemnia sunt omnibus circumspeditis, ut ergastuli mancipia recognoscant, ut explorent an diligenter vineta sint, an ipsae sedes custodiae satis tutae munitaeque sint: num villicus aut alligauerit quempiam domino neficiente aut reuinxit: nam utrumque maxime seruare debet, ut quem paterfamilias tali poena multauerit villicus nisi eiusdem permisso compedibus non exumat, & quem ipse sua sponte vinxerit antequam sciat dominus non resoluat. Et pag. 130. yl. 15. Minus in hoc officio, quam in ceteris frugalitatem requirit; quia & in turba & sub monitore vinitor opus facere debet. Ac plerumque velocior est animus improborum hominum quam desiderat huius operis conditio: non solum enim fortē, sed & acuminis strenui ministrum postulat: ideoque vineta per alligatos coluntur. Obiter monebo pro quam desiderat ex tota serie constare legen-

legendum qualem desiderat. Si autem serui facinorosi, qui neruo & compedibus coēcentur ergastulum constituant, illique extiterint etiam post tempora Adriani, quid tum fiet Spartiani loco. Crediderim fere eum lapsum esse, nisi quis malit ad crīsin recurrere, & pro Ergastula seruorum & liberorum tulit. Lauacra pro sexibus separavit, legere Ergastula seruorum & liberorum, lauacra pro sexibus separavit. Nunquam audiueram liberorum ergastula fuisse, ideo emendaui liberorum, qua in re praemonstratorem habeo. Cl. Salmasium & Iac. Gothofredum ad l. 8. *Cod. Th. de Tiron.* tulit e textu eliminaui, quippe quod scilicet quidam, non capiens sensum verborum, vt a Spartiano perscripta erant, propria auctoritate intruserat. Abr. Wielingius nihil mutandum censet, & tulit explicat toleravit, adeo ut Spartianus notet, Adrianum, quamuis multa in fauorem seruorum constituerit, ergastula tamen manere passum esse. Quam explicationem parum abest, vt pro certa habeam. Sed nimius sum. De relegatione seruorum, & quae ad eam pertinent, haec dicta sufficient. Sequatur exportatio. Ea est cum seruus in aliam mittitur regionem; plerumque tamen obrinebat in emtionibus venditionibus, quando vendor mancipii pacificebatur Roma, verbi causa, aut Italia abesset: toto titulo pandectarum de seruis exportandis l. 17. § 19. *D. ad Aedil. Ed.* Formula erat, ne

*intra haec vel illa loca seruiat.* l. 25. *D. de statulib.* Quin si seruus ea conditione venditus, postea manumissus, eo in loco fuerit moratus, licebat priori domino ei manus iniicere, & e libertate in seruitutem retrahere. l. 2. *D. qui & a quib. man.* Nequeo satis mirari *A. Muretum*, politissimum & eruditissimum cetera virum, qui *Observat. Iur. cap. 2.* negat seruos relegari aut deportari potuisse, quoniam deportati ciuium numero exidunt, relegatis adhuc testamenti factio & reliqua ciuium iura manent integra: serui autem neque ciuibus eximi, neque eorum iuribus gaudere, adeoque nec relegari, nec deportari possunt. Sed vero obseruandum primo seruos quidem exportari at nunquam deportari, deinde cum relegari dicuntur alio sensu, ut iam demonstrauimus id intelligi debere, ac cum de ciuibus Romanis sermo est. Porro nec relegatione neque exportatione, aut ius cuius non sunt capaces acquirunt, aut quod nunquam habuerunt amittunt. Exportationem poenam reuera fuisse liquet e l. 6. *D. de agnosc & alend. lib. vbi legitur Constitutio Imperatoris Commodi*, qua liberti ingrati postquam iterum in Patronorum potestatem redacti fuerint, nec meliores inde facti sunt, a Praeside alteri domino, adiecta credo exportandi conditione, addici iubentur. Apposite ad haec Theano in epist. ad Callist in Opusc. Ethic. & Mythol. pag 747. postquam Cal-

listo-

listonem vt clementer cum ancillis agat hortata est, addit Εάν δὲ ὁ περβολὴ τὸ πανικὸν ἀνίηται ἢ ἐξορισέον μετὰ περίσσεως. Si vero nimia & immota malitia seruarum sit, ut exportentur distractrandae sunt. Graeci, ut erat clemens & mitis ipsorum in seruos dominatio, ita nunquam eos e Graecia exportabant, Philostrat. in vita Apoll. Thyan lib. viii. cap. 7. § 11. οὐδὲ δέχονται νηραὶ Ελληνοὶ περιθέουσι διπλώσεται. Ne seruum quidem homo Graecus extra Graeciae fines distractabet. Et Maryandini, cum se Heracleotis in seruitutem dederent, ne exportarentur pacti sunt, auctore Athenaeo lib. vi. pag. 263. *D.* Sed simplex serui venditio aliquando fere poenae loco habebatur. Certe malitiae indicium erat si seruus saepius dominum mutasset, & laudabantur qui vni tantum domino seruierant, ut recte obseruat Euerh. Otto ad § vlt. *Instit. de iure pers.* & ante eum P. Faber *Sem. lib. ii. cap. 12. pag. 158.* Innumeros alios seruos castigandi & puniendo modos, dominis post Adrianum, eiusque successores, concessos, quia passim apud eos, qui his litteris operam nauarunt recensentur, ne tandem sim, neue illorum scrinia compilare cogar, de industria praetereo.

## C A P. X.

Dominorum in seruos saeuitia,  
libido & auaritia coërcita.

**I**An videamus an serui apud Romanos dominorum iniurias, saeuitiae, libidini & auaritiae in praebendis ad vietum necessariis, verba sunt Senecae de Benef. lib. IIII. cap. 22. ita expositi fuerint, vt nullum contra haec incommoda praesidium inuenire potuerint: vel ipse Seneca dicto in loco contrarium docet, & positus est, inquit, qui ea de re seruorum querelas audiatur. Singula tamen penitus paulo examinabimus. Dominorum duplex coërcetur crudelitas: aut saeuunt in seruos innocuos, aut nocentium peccata seuere nimis puniunt: crudelis enim quoque est qui puniendi causam habet modum non habet. Sen. de Clem. lib. II. cap. 4. Dominum igitur, qui seruum dolo malo plagis ita percusserit vt moriatur, homicidii reum esse colligo ex Paulo in Coll. leg. Mof. & Rom. tit. III. § 2. & l. vn. Cod. de emend. seru. quae ex Codice Theod. desumpta est, vbi confer Iac. Gothofredi commentarium. Quin tam sedulo studebant Romani infamiam saeuitiae erga seruos a se amoliri, vt crimen fuerit seruo per-

persuadere domini infamandi causa ad statuam confugere. In eum qui hoc fecerat praeter actionem serui corrupti, seuere animaduertebatur, l. 5. D. de extraord. crim. Caue tamen existimes ibi infamiam iuris intelligi, bonorum duntaxat & grauium virorum ea de re iudicium innui videtur. Confer Sam. Petiti comment. ad leg. Att. tit. I. pag. 15. Apposite Seneca de Confl. lib. I. cap. 18. Domini crudeles tota ciuitate commonestrantur, inuisique & detestabiles sunt. Obiiciat vero aliquis l. 24. § 5. D. soluto matrim. & ex ea inferat omnibus dominis licitam fuisse in seruos proprios saeuitiam. Verba Vlpiani haec sunt. Si maritus saevis in seruos dotaes fuit, videndum an de hoc possit conueniri? Et si quidem tantum in seruos vxoris saevis fuit, constat eum teneri hoc nomine, si vero & in suos natura talis, adhuc dicendum est immoderatam eius saeuitiam hoc iudicio coercendam: quamvis enim diligentiam vxor eam demum ab eo exigat quam rebus suis exhibet, nec plus possit; attamen saeuitia quae in propriis culpanda est in alienis coercenda est. Agit Iureconsultus de actione quae competit uxori contra maritum, qui tam immodice in seruos dotaes saeuuit, vt inde deteriores facti sint: ait autem maritum non excusari quod in suos etiam saeuiat; & licet eandem vxori tantummodo diligentiam praestare teneatur quam rebus suis adhibet, ad hanc speciem id trahi non potest: etenim haud negligens gentis

gentis est domini in seruum saeuire, sed mali hominis, nec imprudentia hoc sit, sed delibera-to animi consilio. Cum porro nemo ab extra-neo in ius vocetur, quod in suos crudelis sit, ast propterea duntaxat culpari possit, si in alienos tamen hoc vitium suum exerceat iure & merito coercebitur. Vlpianus autem in verbis istis minime negat, aut propriorum aut dotalium etiam seruorum, de heri crudelitate querelas auditas fuisse. Ad saeuitiam dominorum referri potest castratio serui. Eam vetuit Domitianus, & post eum, sub poena legis Corneliae Adriani. V. H. Noordkerk *disquisit.* cap. 111. pag. 114. Constantinus l 1. Cod. de Eunuch. etiam capitalem poenam contra eos constituit. Qui autem castratus erat sive iniuria, sive id propter morbum factum esset manumittebatur teste Harmenop. in *Prompt.* lib. 1. tit. 18. § 34. Proinde in § 6. *Inst. ad leg. Aquil.* qui seruum feciit non est qui eum euirauit; sed qui venam incidit. Iam videamus de dominorum libidine. Qui Senecae dictum, supra recitatum, confir-met en tibi Vlpianum, in l. 2. D. de his qui sui & al. iur. Si dominus in seruos saeuierit, vel ad impudicitiam turpemue violationem compellat, quae sint partes Praefidis ex rescripto D. Pii manifestabitur. Haec a Triboniano interpolata censet Grotius in florum spars nullo sane iure, vt iam ostensum ab H. Noordkerk ad leg. Petr. cap. 111.

pag.

pag. 127. Grotius *dicto in loco, & ad epist. D. Pauli ad Phil. ys. 15.* nec non Fornerius *Select. Quaest. lib. 11. cap. 10.* praecipue vtuntur au-toritate M. Senecae *Contron.* xxxiv. pag. 217. Quem locum iam supra attigimus huius disserta-tionis pag. 37. Seruos autem ad turpem illam violationem, iam ante Imperatores Christianos, a dominis cogi non potuisse demonstrabo verbis antiqui scriptoris Christiani: is est Minut. Fel. cap. 28. *Prob nefas! id in se pessimi facinoris ad-mittunt, quod nec aetas potest pati mollior, nec ser-vitus cogi durior.* Vbi rescriptum D. Pii & qua-dam alia e iure in notis allegauit Elmenhor-stius. Porro seruos quibus talia a dominis patienti-di periculum imminebat vendi iussit D. Pius Col-lat. leg. *Mos.* & *Rom.* tit. 111. § 3. & l. 2. D. de his qui sui vel al. iur. qua de re mox latius. Re-centiori iure in libertatem vindicabantur vt e Ba-silicis nos docet Schol. Photii *ad Nomocan.* tit. x111. cap. 22. Τὰ δὲ λοιπὰ ἐρέγνυσαν εἰς τὸ λήγε-ντες Βιβλία τῶν Βασιλικῶν τοῖς πορνοβοσκοῦν, διδάσκοντας τὴν ωργικελευθερίαν ἀλευθερώδης Στολὴ οὐ κατέχειν θητοπότες τὰς ἀναιγματομένες πιῆσαι τηνιαζόμενον. Reliqua autem relata sunt in 38 tit. lib. 60. Basilicorum de lenonibus, quae docent, & ab episcopo loci manumittendos iubent seruos, qui ali-quid turpe coacti sunt facere. Habemus exem-plum serui hac in re domino non obtemperantis in Alexi Virgiliano, cuius fasticia ferebat Poë-ta,

ta, licet seruus ipsius esset, ei ab Asinio Pollio.  
ne, vt quidam perhibent, dono datus, teste  
Seruio ad Eclog. 11. ys. 15. En alium, dominae  
libidini non obsequentem famulum, Abroco-  
mam, in Xenophont. Ephesiac. lib. 11. pag. 27.  
*Δεσποινα την πιει, καὶ χρῆ σφράγις οἰ-*  
*κέτε, καὶ εἴτε διπλεῖν θέλεις ἔτοιμος, εἴτε βασι-*  
*νίζειν ὅπως ἔθελεις βασάνιζε εἰς εὐνὴν δὲ τὴν σὺν*  
*αὐτῷ ἔλθοις, εἴτε δὲ τοιαῦτα πειθάνην κελευσόῃ.*  
*Domina quodcumque volueris fac, & utere corpore*  
*meo tamquam serui: Siue me interficere volueris,*  
*non recuso: Siue cruciare, pro lubitu crucia: in le-*  
*ctum autem tuum non veniam neque talia inbenti*  
*obtemperabo. Rationem hanc dederat castissimus*  
*adolescens, pagina praecedenti, illam quidem*  
*dominam esse corporis, non aeque animi. Ab*  
*utroque hoc diuersissimus est Petronii Trimal-  
cio, qui sub coenam ait, tamen ad delicas femi-*  
*na ipsimi domino annos quatuordecim fui, nec turpe*  
*est quod dominus iubet. Dominorum, qui ancil-  
las stuprant opinio dicitur grauiari in l. 25. Cod.*  
*ad leg. Iul. de adult. Videri tamen possent stupra*  
*illa licita fuisse, antiquis Reipublicae Roma-  
nae temporibus, ex historia Appii Claudii, qui*  
*amore flagrans filiae Virginii, cum nulla ope,*  
*nullis precibus, vt sibi morem gereret eam in-  
ducere posset, clienti suo persuasit vt pueram*  
*in seruitutem affereret, ita facillime, nulloque*  
*suo periculo, voti compos futurus. l. 2. § 24. D.*  
*de*

*de O. I. & ad eum locum Budaeus. Verum e-*  
*nimuero ideo tantum Appius eam in seruitutem*  
*afferri voluit, quod longe grauius esset virginis*  
*Romanae stuprum offerre, quam ancillae, etsi*  
*nec hoc prorsus impune siebat: certe si aliena,*  
*vt hoc in casu, ancilla esset, domino actio in-*  
*iuriarum competebat ad aliam incorruptam reci-*  
*piendam Paulus Sent. lib. 1. tit. 12. § 2. Qui an-*  
*cillam pignori acceperat, si compressisset, pignus*  
*solutebatur l. 24. § 3. de pignerat. act. Huc etiam*  
*pertinet prostitutio ancillarum, quae saepissime*  
*interdicebatur in pacto venditioni addito, con-*  
*tra quod si emtor peccasset libera siebat ancilla*  
*l. 6. pr. D. de seru. export. l. 6. § 1.. qui sine ma-*  
*num. l. 56. de contrah. emt. vend. & l. 2. Cod. si*  
*manc. ita ven. ne prost. Addesis saepius lauda-*  
*tum Noordkerkium cap. 111. § 16. pag. 120.*  
*Sed licet ea conditio venditioni addita non es-*  
*set, iure Codicis, ancilla, si dominus eam pro-*  
*stituere vellet, Episcopi suffragium implorare po-*  
*terat. l. 12. Cod. de Episcop. audient. Humiliores,*  
*qui ancillas prostituebant, metalli poena & exi-*  
*lio puniebantur l. vlt. Cod. de Spectacul. Nunc*  
*tandem, qua de re tertio & ultimo loco nobis*  
*agendum restat, nimiam dominorum auaritiam,*  
*in praebendis quae ad viatum necessaria sunt,*  
*coercitam fuisse ostendam: idque liquet, ex*  
*iam ante allegato D. Pii rescripto apud Pariato-*  
*rem tit. 111. § 2. Nec sine causa hoc factum:*

pro operis enim naturaliter alimenta debentur. Grotius *de Iur. Bel. & Pac.* lib. III. cap. 14. § 6. Deinde etiam legibus ciuilibus aliqua seruis domini praestare debebant Marcianus in l. 40. § 1. *D. de pecul.* *Si id acquisierit seruus, quod necesse non habet praestare, (dominus) id esse peculium.* Erant autem illa, cibaria, vestiarium, namque addit iureconsultus: *si vero tunicas, aut aliquid simile, quod ei dominus necesse habet praestare.* Conueniunt cum illis verba Senecae de Benef. lib. III. cap. 21. *Est aliquid quod dominus praestare seruo debeat, ut cibaria, vestiarium.* Dementum scilicet seruis dare tenebantur domini. Id libra farris constitisse dicitur: quod hic inquirere nostri instituti non est. Ea de re multi multa: Vide Theod. Marcilium *ad leg. XII. tabb. tom. IV.* pag. 250. *thes. iur.* Pignorum *de seru.* pag. 310. & Popmam *de oper. seru* pag. 23. Imo is fauor erat cibarii & vestiarii, ut quamvis alias iure pandectarum serui nihil prorsus ex testamento perciperent; haec tamen utiliter iis legari possent. *l. 17. D. de alim. & cib leg.* Quin praeterea pro condizione, quam variam in seruis fuisse infra obseruabimus, ab usufructuario alendi erant & vestendi. Diserte Vlpianus *l. 15. § 2. D. de usufr. & quemad.* Sufficenter autem alere, & vestire debet, secundum ordinem & dignitatem mancipiorum. Si autem dominus necessaria ad victum non suppeditet vel furto ea seruus secundum Ius natu-

naturae videtur posse auferre. Grotius *de I. B. & P. lib. III. cap. 7.* § 6. num. 4.

## C A P. XI.

De aris, templis & statuis  
seruorum perfugiis.

**C**ontra saeuitiam, libidinem & avaritiam dominorum, seruos aliquid praesidii habuisse iam ostensum a nobis est; sed non iniuria ambigere quis posset, quo pacto, si seruus a domino male habitus fuisset, ea de re magistratus cognoscere potuerit: seruus enim personam standi in iudicio non habet, & inter dominum & seruum nullum consistere potest iudicium. *l. vlt. Cod. en seru. pro suo facto.* Casus qui excipiuntur vide in *l. 53. D. de iudit.* apud Harmenopul. in *Prompt. lib. I. cap. 14. § 4.* & Gothofredum *in ibi in notis.* Et reuera non eis licitum fuit dominos saeuitiae postulare, & reos agere; sed modeste de iis queri, ut egregie docet Ger. Noodt in *Comm. ad Dig. lib. V. tit. I. pag. 148.* Hinc Seneca de Benef. lib. III. cap. 22. non dixit accusationes; sed querelas seruorum. Conuenit quod seruus tribuitur in *l. 17. Cod. de Episcop. aud. implorare suffragium Episcopi.* At vero, cum

*cum seruiliis conditio deferendae precis (& quere-  
lae) non facile capax sit. l. i. Cod. de prec. Imper.  
offer. & proinde non semper seruus admittatur,  
apud Graecos & Romanos aerae, templo & sta-  
tuæ fuerunt, ad quae confugerent. De ara ele-  
ganter Plutarch. *de Superstitione*. pag. 166. E. Δέ-  
λω Φεύξιμος Βωμὸς Ἀραν σέρνυς ἔχει τόπον  
σέρνυς & Eurip. in *Suppliciis*. vers. 268.*

-----  
Εχει γὰρ παταφυγήν θηρίον μὲν πέτραν,  
Δέλως δὲ βωμὸς θεῶν. -----

-----  
*Rupes enim perfugium est ferae,  
At ara seruorum.* -----

Hunc locum, quem tamen male in Andromacha esse dicit, & alia plura, vide apud Sam. Petritum *ad leg. Attic. lib. I. tit. I. pag. 13.* Apud Romanos scriptores, si Comicos excipiās, qui ad mores Graecorum crebro alludunt, vix est ut reperias exempla seruorum ad aras confugientium. Inviolabile mancipiorum asylum erat Athenis aedes Eumenidum, & facellum in quo Thesei reconditae erant reliquiae. Vide Petritum loco laudato, & Meursium in *Athenen. Att. lib. I. cap. 6.* Erat autem φύγιον οἰκέτας καὶ τῶν τοῖς πεπινοτέροις καὶ δεδίσταις κρείττονας, refugium seruis, omnibusque humilioribus sibi a potentioribus mentuentibus. Plut. in *Theseo* pag. 17. C. Ex mera igitur emendandi libidine in Scholia Aristoph. ad *Equit.* ys. 1309. pro οἰκέτας legit ιέτας L.

Kuster-

Kusterus, qui idem tamen antea in notis ad Suidam in V. Θησείον videtur praetulisse Scholiorum vulgatam lectionem. Verba Scholiographi haec sunt. Εἰς τὸ Θησεῖον ἐνταῦθα οἱ παλαιφεύγοντες τὴν οἰκέτῶν ἀσυλίαν ἔχουν. In Thesei fanum, ex quo, quicunque serui in illud confugissent, extraibi non poterant. Si ιέτῶν legeretur, esset quicunque supplices, &c. quod fallum, non enim quorūlibet supplicum illud asylum fuisse clare docet Plutarchus. Quandoquidem vero de templo illo Thesei & de Scholia Aristophanis nobis sermo est, fert animus ipsum Comici locum expendere. En tibi eius verba: saltim ut nunc leguntur.

Εἰ δ' αἴρεσθαι πάντα ταῦτα Ἀγγυαίοις, παθῆθαι μοι δοκῶ  
Εἰς τὸ Θησεῖον πλεύσατε, ή πὶ τὴν σεμνῶν θεῶν.

Carpit Poëta Atheniensium propositum classem Thraciam versus mittendi, & quandam e triremibus inducit, quae dicat hoc sibi non placere, εἰ si hoc complacitum fuerit Atheniensibus, videor mihi, inquit, considerare ad fanum Thesei nauigantibus, aut ad Eumenidum. Nemo non videt haec nouissima, sensu vacua esse, & manu critica indigere. Petitus iam locum mendi suspetum habuit, quod πλεύσατε esset in plurali & hic vna tantum loqueretur triremis, more autem suo prava emendatione verba elegantissima

ma contaminauit. Sic versum posteriorem constituit:

Eis τὸ Θησεῖον πλέγμα, ἵνα πὶ τῶν σερνῶν  
θεῶν

Sed illa ἵνα πὶ τῶν σερνῶν θεῶν, eodem iure quo ea quae ad Eumenidum ares sedet, ita ipse verit, quid quoquo sibi volunt? Potestne talis esse vocabulorum Graecorum sententia? Ego certe ignoro: & nemini praeterea stomachum suum inuidisco, qui in Aristophane concoquere poterit πλέγμα ἵνα πὶ. Mihi in mentem venit legendū πλέγμα. Omnes triremes vna alloquitur: *Hoc si decreuerint Athenienses mihi consultum fore videatur ad Thesei famum nauigare ibique supplices sedere*, ne scilicet cogamur iniustis dominorum mandatis parere. Elegantem & Atticis scriptoribus familiarem esse locutionem moi dico prius, moi δικαιοδομη censeo faciendum, censeo sedendum, qui ignorat discat velim e Budaei comment. ling. Graec. pag. 457. Καθῆσθαι vero saepe significat supplicem sedere. Demosthen, pro Corone pag. 164. Οὐχ μετεργάτης τερψίερχος οὐδεὶς πώπολε ως αἰδινόμενος παρ' ὑμῖν εἰς Μεγυχίην ἐκάθετο. Et Aeschyl. in Supplic. vers. 371.

Οὐτοι καίθισθε δωμάτων ἐφέστοι  
Ερῶν.

Diserte vetus Commentator: οὐ πρὸς τὴν ἐστίαν τὸ  
ἐμῶν

ἐμῶν δωμάτων ἀντὶ τᾶς, τὸν idia πάτερε ποιεῖθε τὰς ἴνστιας. Sed e diuerticulo in viam. Asylum fuit Ephesi in templo Dianae teste Apollonio Thyan. in epist. LXV, speciatim seruis patuit: Cicero in Verrem lib. I. cap. 33. Nuper M. Aurelio Scauro postulante, quod is Ephesi se Quaestrom vi prohibitum esse dicebat quominus e fano Dianaee seruum suum, qui in illud asylum confugisset abducere. Nec solis seruis patuit, exclusis ancillis, vt perperam docet Bodinus de Republ. lib. I. cap. 5. pag 57. His enim quarum pudicitiae a dominis insidiae struebantur praeципue videtur asylum inferuisse. Liqueat hoc ex insigni ea de re loco apud Achilleum Tatium, quem vitiōse Statuum nuncupat Bodinus, lib. VII. pag. 451. Amorium Clitoph. & Leuc. Καὶ ἦν γάρ τὸ άγρον πλησίον τὸ Τάρπειον ιερὸν ἐπτρέχει τὸ ἔως ἀντὶ, καὶ ἔρχεται, Ε νεώ. τὸ δὲ παλαιόν ἄβατον ἦν γυναιξὶν ἐλευθέραις ἐτόνος ὁ νεώς αὐδροῖσι δὲ ἐπετέρεσσι πολὺ παρθένοις. εἰ δὲ τις εἴσω παρεῖλθεν γυνὴ θαυματοῦ ἦν ἡ δικη. πλὴν εἰρή δέλη τις συνεγκαλλῆσαι τῷ δεσπότῃ παύτην δὲ ἐξην μετεθειν τὴν θεόν. εἰ δὲ ἀρχοντες ἐδικαζον αὐτῇ τῷ τῷ δεσπότῃ καὶ εἰρήν ὁ δεσπότης ψάδεν ἔπιχεν αἰδινῶν, αὐθιστὸν θεραπαιναν ἐλάρβανεν, δικίσας μὴ μηδισμάσειν τὸ παταφυγῆς. εἰ δὲ ἔδοξε τὸ θεραπαιναν σίναια λέγειν, ἔμενεν αἰδεῖς διάλη τῷ θεῷ. Quae sic verto: Prope ruis enim aedes Dianaee; ad illam properat, eamque ingreditur. Olim erat inaccessum mulieribus liberis templum; & eius

cura viris atque virginibus committebatur. Si vero mulier quaedam illud ingressa fuisset, morte plectebatur. Nisi foret serua, de domino querens. Haec enim supplex Deam adire poterat. Magistratus autem, postquam illam & dominum audirebat, pronuntiabat. Et, si nulla iniuria dominus illam affecisset, reddebatur ancilla, ei iuranti se in posterum, propter fugam, non irato animo erga illam futurum. Si autem iustas causas allegasset ancilla, ibi in templo remanebat, Deae famula. Romae templa fuerint nec ne, in quae serui configere potuerint, ante Triumuiratum Augusti, Antonii & Lepidi, compertum non habeo. Bodinus quidem dicto loco affirmat Seruum Romae templum Diana aedificasse, quod asylum fuerit vulgari hoc sensu: an vere hoc affirmet dubito. Auctoritas profecto, quam citat hoc non euincit. Locus est e Dionys. Halic. lib. iv. pag. 230. vers. 23. Mentio, fateor, ibi sit templi Diana ab Seruo in Aventino monte aedificati, quod  $\delta\sigma\upsilon\lambda\sigma\nu$ , inuiolabile fuerit; sed de seruis aliisue sibi metuentibus, qui securitatem in eo sibi comparare possent, ne verbum quidem mutit: Ideo autem vocavit  $\delta\sigma\upsilon\lambda\sigma\nu$ , quoniam ciuitates sociatae in eo sacra faciebant quotannis, singulique earum aequa sanctum erat & inuiolabile. Et nulli proinde illud animo hostili ingredi, aut adorare licebat. Idem tamen ille locus Dionysii I. Lipsium in excurs. ad Taciti Ann. lib. III. cap.

36. compulit, vt, non secus ac Bodinus, existimaret reuera in hoc templum fugientes siue seruos, siue liberos, inde auelli non potuisse, refragante licet Dione Cassio cuius verba ipse allegat. Απηγόρευταν δὲ μηδένα ἐς τὸ ἥρων αὐτῆς καταφύγειν εἰπεῖν αὐτοῦ μήπε παντριλατέσθαι μήπε συλλάθαι, ὅπερ γέδει γέδει τὴν θεῶν τὴν ἐπὶ Ρωμίλα γενομένων, ἐδεδώκεται. Veterunt (Triumuiri) ne quis in fanum eius (I. Caesaris) ad securitatem impetrandam configiens, ab eo repelleretur, aut ex eo extraheretur, quod nulli Deorum templo, si excipias, quae sub Romulo fuerunt, concessum fuerat. Ad hoc forte Caesaris asylum respexit Vlpianus in l. 17. § 12. D. ad Aedil. Ed. Ne eum quidem qui ad statuam Caesaris configuit, fugitiuum arbitror: non enim configendi animo hoc facit. Idem puto & eum qui in asylum & aliud quod configuit. Longe autem erat frequentissimus mos, qui ibi memoratur a Iure consulto, ad statuas configiendi, non adeo Deorum, qua de re Lipsius loco laudato; sed potissimum Caesarum. Idque plurima Iuris nostri loca testantur. Tam vero sanctae habebantur illae imagines, vt summa impietas esset eas violare. Philostrat. in vita Apollon. Thyan. cap. 15. Ανηρέθισο δέ ἐπὶ τὸν ἄρχοντα γλυκία πᾶσα, οὐδὲ πυρεῖς (male editum est πυρὸς) ἐπὶ αὐτὸν ἤπλοντο, οὐδὲ τοι προκείμενον τὰς Βασιλίσσις ἀνδειδοῖ, εἰ γέ τοι Δίας & ἐν Ολυμπίᾳ φοβερόπεροι τόποι γέ ασυλόποροι γοναῖ, Τιβερίς γέ ὄντες, ἐφ' ἃ λέγεται τις ἀσεβῆσαι δέξαι, τυπή-

τυπήσας τὸν ἑαυτῷ δὲ λόγον Φρέροντα διεκχώνι γρυνεῖν  
νεομοσμένην εἰς Τιβέριον. Excitata autem erat contra Praesidem omnis aetas, ἐξ ῥογος contra eum accendebat, quamuis supplex Imperatoris statuis adiaceret, quae ipso Olympii Iouis signo tunc magis verendae & innuolabiles erant, quippe quae essent Tiberii, sub quo aliquis fertur impius iudicatus fuisse, qui seruum suum argenteum denarium, cum Tiberii imagine, ferentem percuferat. Aut fallor, aut non intellexit Olearius verba καὶ πνεὺς ἐπί αὐτὸν ἔκαστον, quae vertit, ῥογικός ei parabat. Innuit Philostratus ritum, quo supplices, aris aut statuis auellere metuentes, admoto vndique que igne eas sponte sua relinquere cogebant. Vide Sam. Petitum *ad leg. Att. lib. I. tit. I. pag. 12.* In perniciem dominorum hanc ad statuas fugendi licentiam seruis concessam recte obseruat Bodinus: qui enim ira incitatus earum sanctitatem vel leuiter temerasset maiestatis reus fiebat. Ipsi etiam serui saepe ad infamandos dominos imagines amplectebantur, ut supra notaui, atque inde est, quod qui in venditione mancipii dixisset eum nunquam ad statuam confugisse id praestare tenebatur *I. 19. § 1. ad Aedil. Ed.* Sub Imperatoribus Christianis a dominis sibi metuentes serui frequenter in Ecclesias confugiebant *I. 5. Cod. Th. de his qui ad Eccles.*

## C A P. XII.

De venditione seruorum quos domini male habebant.

**V**bi a dominorum ira imaginum religione tuti erant serui, tunc de eorum iniuriis querebantur. Re cognita, si vera dixisse constaret, alteri eos vendere cogebatur dominus. D. Pius in rescripto apud Vlpian. *Coll. leg. Mof. & Rom. Tit. III. § 3.* Seruorum obsequium non solum imperio, sed & moderatione & sufficientibus praebitis, & iustis operibus contineri oportet. Itaque & ipse curare debes iuste, ac temperate tuos tractare, ut & facile requirere eos possis, ne si apparuerit, vel imparem te impendiis esse, vel atrociorē dominatione saeuitiam exercere, necesse habeat Procons. V. C. ne quid tumultuosus accidat praeuenire te, & ex mea iam auctoritate ad alienandos eos compellere. Hoc pacto verba sanequam corruptissima egregie emendauit Pithoeus: tantum moneo pro atrociorē dominatione saeuitiam; me scriptum malle atrociorē dominationem saeuitiam. Non autem assentior I. Fr. Gronouio, qui operibus, tamquam insititum vocabulum hinc eliminandum putat: boni enim domini etiam iustas, id est modi-

cas, non graues nimis, operas seruis distribuere, ne *ἀλεῖται πότος καύμων*, prae nimio labore in morbum incident, ait Theano. Aliud est eiusdem Imperatoris, apud cundem Iureconsultum rescriptum, itidem *in collat. leg. Mof. & Rom.* sed magis integrum est *in l. 2. D. de H. Q. S.V.A.* *I. Cognosc de querelis illorum qui in familia I. Sabini ad statuam configerunt, & si vel durius habitos quam aequum, vel infami iniuria affectos cognoveris, venire iube, ut in potestatem Sabini non revertantur.* Iustinianus § 2. *Instit. eod.* ait bonis conditionibus vendendos, quod non solum est iusto pretio vt Pithoeus exponit *ad Collat. leg. Mof. & Rom.* loco citato; sed etiam, vt rectius alii, quos indicat Noordkerkius *ad leg. Petron. cap. 111.* pag. 130. ne vendat ea conditione vt in ergastulum compede vincti detrudantur, aut nunquam manumittantur. Quae conditiones venditionibus seruorum, meritorum puta, vtiliter addi poterant *l. 17. § 19. D. de Aedil. Ed. l. 6. pr. D de seru. export. l. 3. § 15. D. ad SC. Silanian.* & *l. 5. Cod. si mancita fuer. al. vt manum.* Illi autem serui qui ad statuas configunt, dominum mutare cupientes, videntur esse quos Graeci scriptores *περιστρέψαντες* vel *αἰτεῖσθαι* dicunt. Quem tamen ritum omnes fere docti ad leges Atticas vnice pertinere contendunt. Is. Casaubonus *ad Athenaeum lib. vi. cap. 19. ad Sueton. in Caesare cap. 11.* Petitus *ad leg. Att. lib. 11. tit. 6. pag. 178.* & qui hunc

se-

sequitur Noordkerk pag 104. Alia mihi stat sententia. Existimem Auctores, qui huius rei mentionem fecerunt, ad iura Romanorum omnino allusisse. Et more scriptoribus Graecis, qui res Romanas tractarunt sollemniter, formula ex foro Attico desumta, ad rem quae Romae obtinebat exprimendam, vsos fuisse. Loca veterum notarunt doctissimi I. Pollucis commentatores *ad lib. vii. § 13.* Singula inspiciamus. Primus mihi occurrit Philo Iudeus, *de vita contemplat.* pag. 690. *D. οστωρ εἰ περὶ τὸν αἰτεῖσθαι τὸν πεντημένων ἀτυχεῖς ή καιοδόλοι, δεσπόζων ὑπαλλαγὴν, εἰ καὶ ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἐπάγοντες.* Quemadmodum infelices & male habitis serui, qui se venales postulant, non libertatem; sed alium acquirentes dominum. Notum est Philonem Alexandrinum fuisse, adeoque probabile est eum respexisse ad ius quod in patria sua obtinebat: quis vero ignorat id tunc temporis ius Romanum fuisse. Sed si negat aliquis tempore Philonis, qui sub Caio floruit, receptum fuisse, vt serui ad imagines Imperatorum configuerent, ei oggeram locum Philostrati praecedenti in capite a me allegatum, qui ait imperante iam Tiberio sceleri imputatum domino, qui seruum verberaret, vel numum habentem Imperatoris effigie insignitum. Diserte quoque Tacitus *Annali 111. cap 36.* *Incedebat enim de terrimo cuique licentia, impune probra & inuidiam in bonos excitandi, arrepta imagine Caesaris liber-*

*ti etiam ac serui, patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultra metubantur.* Quia scilicet statua ad quam fugerent praesto erat. Ade quae supra obiter notaui pag. 48. Secundum locum obtineat Plutarch. de *Superstitione* pag. 166. *D. Εσὶ γὰρ δόλοις νόμοι, ἐλευθερίαν δημογυγούσι, πρᾶσιν αἵτειδες γὰρ δεσπότην μεταβάλλουσι Θητεινέσερον.* Seruis qui libertatem desperant receptum est, ut se vendi flagitent. Qui se ipsos non possunt, quosque alii redimere nolunt ii sunt δημογυγούντες τὴν ἐλευθερίαν, qui spem consequendae libertatis non habent. Nihil autem inferri potest ex verbis illis Plutarchi unde constet magis ad ius Atticum quam ad Romanum hoc referendum esse. Si quis tamen ex me quaerat quaenam illa lex sit, νόμος, quam memorat, respondebo saepe phrasin νόμος ἐστι significare *moris est, fieri solet*, & neutiquam hic cogitandum de lege ita proprie dicta. De hoc porro Plutarchi loco mecum consentit P. Faber *Semele lib. III. cap. 16. pag. 223.* Qui eum ad Romanorum iura etiam arbitratur respexisse. Tertius ordine veniat Lucianus, qui in *Dialogo xi Deorum, Mercurium matrem ita alloquenter inducit.* Καὶ ὅλως ἀπηγόρευκα γάρ εἰ γάν νοι δύνατον γένεσιν, γένεσιν δὲ τοῦτον πεπεριόδευ, ὡσπερ εἰ τὸ γῆν κανοῦς διλεύοντες. *Iam prorsus defectus sum, ac proinde si possem lubens vendi postularem, quemadmodum illi, qui in terra infeliciter seruunt. Si attendas ad aetatem Luciani, & iura quae tunc obtine-*

tinebant, quod ipsum etiam de Plutarcho, modo a me laudato, dictum sit, eum mores Romanorum hic prae oculis habuisse facile senties. Tandem ad I. Pollucem deuoluimus. Is licet aliis occasionem dederit credendi Attici iuris esse περιστώ αἵτειν, mihi videtur clarissime indicare apud Romanos id admodum frequentatum fuisse. Ipsum audi loquentem. Οὐ δέ εἰ νῦν Φασὶ τὰς οἰνέτας περιστώ αἵτειν, ἐστιν εὑρεῖν τὸν ταῖς λεγοφίαις οργανός

Εἴροι περίτισον ἐστιν εἰς τὸ Θητεῖον δεχμένιν  
Επει δέως δὲν εὑρώ περιστώ μένειν.

Aυτικριτικός, δέ τοι ταῖς εὐπόλιδοι Πόλεσι. Καὶ πολὺ<sup>de</sup> πάχω μεν ωδὴ περιστώ αἵτειν. *Quod vero hoc tempore serui dicuntur venditionem postulare, illud inuenire licet in Aristophanis Horis.*

*Si mihi optimum sit in Thesei fanum currere  
Et inibi donec emitus fuero manere.*

*Diserte autem in Vrbibus Eupolis. Tanta quidem patior mala; neque tamen venditionem flagito.* Versus illi Aristophanis turbati sunt, vident id Petitus ad leg. Att. lib. II. tit. 6. pag. 178. & legit:

Εἰ μὴ περίτισον ἐστιν εἰς τὸ Θητεῖον  
Δεχμένιν, ἐπει δέως δὲν εὑρώμεν πρᾶσιν  
Μένειν. - - - - -

Casaubono ad Athen. lib. ix. cap. 3. debet ei μὴ pro ἔμοι & εὐρυμενοι pro εἴπων. Non autem probo rationem qua versus distinxit; sunt enim tunc scazontes, quos in dramatibus Graecis non facile reperies. Ambo haec carmina forte ita seniorum legibus erunt restituenda:

Οἶμοι.

Κράτισσόν ἐστιν εἰς τὸ Θησαύρον δεχμεῖν.  
Εκεῖ δὲ ἦσαν περὶ τοῦ εὐρυμενοῦ μένεν.

Οἶμοι est exclamatio, quae ad versum non pertinet, quales sexcentas tam in Comicis quam Tragicis reperiri norunt illi, qui eos vel a limite salutarunt. Sed ad negotium nostrum. Dicit Pollux, quod *ci yūn, homines huius aetatis*, vocant πρᾶσιν αἰτᾶν, eius iam meminerunt olim Aristophanes & Eupolis: manifesto indicio sub Commodo hunc ritum notissimum, & Romanis admodum familiarem fuisse, quem, tamquam rem minus notam, doctissimus quippe literator, aliquot retro seculis iam apud Athenienses obtinuisse indicat. Qua in animaduersione eo magis mihi complaceo, quod eadem fere obseruavit Ti. Hemsterhuis in notis, ad citatum Luciani dialogum, quae iam praelium eluctatae sunt. Addi allegatis exemplis debet locus Artemidori, quem mihi indicauit vir modo laudatus: *in Oneirocrit. lib. iv. cap. 16. πωλέσθαι ἀγαθὸν τῆς παρόντα ἀλλάξας βελομένοις δελοις καὶ πένηται*

πένηται. Bonum est vendi iis, qui rerum suarum praesentem statum in meliorem mutare gessint, seruis scilicet & hominibus pauperculis. Sine vlo dubio respexit ad venditionem seruorum, qui manus dominis feruiebant, apud Romanos fieri solitam. Summa igitur tractationis huius nostrae haec est: πρᾶσιν αἰτᾶν, quod iure Attico quondam obtainuerat, seruis, a temporibus forte Augusti, apud Romanos frequentatum est, eoque digitum intendunt Philo, Lucianus, Plutarchus & Artemidorus. Quin in ipsis Iure-consultorum libris huius rei vestigia inuenisse mihi videor. In lib. I. Vlpiani ad Aedil. Ed. est l. 17. § 12. eiusdem tit. in D. Apud Labeonem & Caelium quaeritur; si quis in asylum confugerit, aut eo se conferat, quo solent venire, qui se venales postulant, an fugitiuus fu? Quid quaeſo aliud est πρᾶσιν αἰτᾶν, quam venalem se postulare? Haud equidem ignoro. Petitum lib. I. tit. I. pag. 14. operis saepius allegati, haec explicare de loco in quo venire solebant, qui se suis numis redimere satagebant; sed ne dicam locum tales nusquam, & a nemine memorari, nonne seruus longe commodius domi cum hero hoc perageret? a quo inuitio sua pecunia redimi non poterat, vt mox videbimus. Illa porro πρᾶσιν αἰτᾶς venditionis postulatio, certissimum contra dominos seruis praesidium erat, imo, vt cum Tacito loquar, seruorum manus & voces

L

cum

*cum dominis intentarentur vltro metuebantur.* Isque scopus fuit, ad quem fere collineabant omnium Imperatorum constitutiones, in fauorem seruorum conditae, vt ita dominica potestate imminuta, immensis seruorum gregibus domini nihil mali efficerent, & sibi domi timentes tam anxie rem domesticam curarent, vt foris nihil possent nouarum rerum moliri. Palam fecit hoc Imperatorum omnium & suum praecipue institutum stolidus Princeps C. Caligula, qui eo impudentiae prouectus est, vt seruis, de quibus antea tormentis quidem in dominos quaestio institui poterat, teste Cicerone *pro Deiot.* cap. 1. exceptis paucis casibus, de quibus Paulus *in Sentent.* lib. v. tit. 16. § 6. & Noodtius *Probabilib.* 111. cap. 6. qualibet de causa dominos accufare permiserit teste Suida *in V. Γαῖας & Δγληγῆταις.* Caio multo versutior Tiberius, longe aliam ingressus erat viam: seruos ante actori publico mancipari iubebat, vt deinde iugo herilisoluti eum impune accusarent. Post Caligulam Imperatores, vtut fauerent seruis, hanc accusandi licentiam, quod nimias in imperio turbas excitaret, prorsus sustulerunt, de Tacito Vopiscus, *in eius vita;* sed isti negotio potissimum operam nauauit Alexander Seuerus.

## C A P. XIII.

De seruo qui pro derelicto  
habitus.

**A**Ctum a nobis haec tenus, de seruis a dominis caesis, corruptis & interfectis, & quid praesidii contra illas iniurias habuerint, vidimus: hoc capite, si seruus a domino derelinquatur, quid observandum sit inquiram. Si Cuiacio *in comment ad l. vlt. D pro derel.* credamus, seruus pro derelicto habitus liber non sit, adeoque manet seruus; sed sine domino est, affirmante Schultingio *ad Vlpian.* tit. 1. § 19. & *ad tit. D. de statu hom.* § 8. Quin occupantis fieri ait Barbeiracius *not. Gall. ad Grot. lib. 11. cap. 9. § 1. num. 3.* Prius istud verum fuerit reliqua, quae inde necessario sequuntur, etiam vera sint omnino oportet. Verum enim uero modo mihi tantillo maximis nominibus contradicere liceat, Cuiacum, Schultingium, ipsumque adeo Barbeiracium, lapsos esse, me ostensurum existimo. Seruus & dominus vocabula sunt relativa, vt ita dicam, ad se inuicem; si nullus sit dominus nullus etiam est seruus, & vice versa. Cum Iureconsulti definiunt seruitutem, quod sit

*constitutio iuris gentium qua quis contra naturam alieno dominio subiicitur, manifesto indicant ablatio illo dominio, ad statum naturalem, qui est libertatis, redire eum qui modo in seruitute fuerat. Res equidem aliae a domino derelictae, & itidem ad statum suum naturalem redeuntes, cuiuscunque in dominium recidere possunt, & sunt occupantis: non aequae homo, quem semel derelictum a domino, ut sibi seruiat, inuitum, nemo cogere potest. Proinde nec seruus a domino derelictus, est seruus sine domino, nec fiet occupantis. Sed inquires non solis hic ratiociniis est indulgendum, vbi leges diserte contrarium euincunt. Eas euoluamus. L. vlt. D. pro derel. Sempronius Thetidi statutus quaestionem facere tentabat, quasi de serua sua nata sit: qui iam testato conuentus a Procula nutrice Thetidis in soluendis alimentis, respondit non se habere, unde alimenta eiusdem exsoluat; sed debere eam patri suo restituere Lucio Titio: idque ea illa in testationem redigisset, ut postea nullam quaestionem pateretur ab eodem Sempronio: L. Titius Seiae Proculae solutis alimentis, puellam vindicta manumisit. Quaero, an posset rescindi libertas Thetidis? Paulus respondit, quoniam dominus ancillae, ex qua Thetis natu est, Thetidem pro derelicto habuisse videtur, potuisse eam a L. Titio ad libertatem perduci. Dominus pro derelicto habuit Thetidem, eamque aliis manumisit. Hoccine fieri potuit, si Thetis so-*

la

la derelictione iam facta est libera? Fateor, primo intuitu difficultate non vacat haec lex: sed omnis auferetur vbi facti speciem indicauero. Duplex ad legis verba effingi potest: vtramque exhibeo. Lucius Titius Sempronium emancipauit cum peculio, cui praegnans inerat ancilla, mater Thetidis, parit serua Thetidem, eam Proculae nutriti dat educandam Sempronius: intericto tempore Procula coram testibus conuenit Sempronium, de alimentis Thetidi praestitis sibi per soluendis, respondet ille se non habere unde hoc facere queat; sed nutricem monet ut ad patrem L. Titium se conferat, & Thetidem, cuius serua fuisset si filium addito peculio non emancipasset, ei restituat. Obtemperat Procula, L. Titius alimenta soluit, puellamque vindicta manumisit. Et iure: filius enim, cui inter res peculiares obtigerat Thetis, eam repudiat, & non prorsus quidem pro derelicto habet; sed habere videtur; eam enim patri remittit, cuius in dominium, imprimis cum factas in educationem impensas exsoluit, puella siue dubio reuertitur. Potest etiam haec legis species esse: L. Titius cum Semproniis ancilla rem habet, ex eo concubitu nascitur Thetis, quae ex iuris principiis quoque serua fit domini matris, eam Sempronius Proculae nutrientiam committit. Vbi de alimentis a nutrice conuenit, negat se habere unde ea restituat; sed debere illam Thetidem patri

patri suo dare, quam is alimentis persolutis manumittit. Reete: pro derelicto enim habuit Sempronius Thetidem, & obstricta est L. Titio, qui ei obligationem remittit, cum alias ipsi seruire deberet donec aut ipsa, aut pro ea extraneus L. Titio satisfecisset, pro impensis in educationem factis. Non secus ac in seruo noxali iudicio a domino derelicto obtinet, qui, vbi damnum illatum ei cui noxae datus est resarcierit, vel inuito eo coram Praetore in libertatem vindicatur, § 3. *Instit. de noxal. act.* Quis autem negauerit posse eum, cui seruus noxae datus est, poenam remittere, eumque sponte sua ad Praetorem ut manumittatur ducere. Perinde vero est aliquis seruum pro derelicto habeat, an noxae dedat: vtroque enim modo eius dominium amittit, neque contra eum cum serui nomine agi potest l. 38. § 1. *de noxal. act.* & l. 33. *eod.* Deinde seruus ei cui deditus, aut cui, a domino derelictus, obstrictus est, fere eadem ratione seruit ac nexi & obaerati, aut ab hostibus redempti, qui seruitutis vinculo liberantur simulac dominis satisfecerunt. Porro etiam noxae dediti neutri dominorum, tamquam patrono operas officiales praestare debent. Vide de his, & de falso Praetore Liberali, apud quem aliqui seruos noxae datus, & damnum resarcientes, in libertatem afferi finixerunt, Abr. Wieling *ad paratilla Chafsanaei* pag. 264. Satis fuse illam legem ultimam expo-

exposuimus. Clarissimum in modum liquet seruos pro derelicto habitos liberos fuisse inde, quia aegroti a domino abiecti libertas potissimum hoc fundamento innititur, quod videatur derelictus l. 2. *D. qui sine manum. Non. xxii. cap. 12.* & *Non. cliii. cap. 1.* Quo de negotio paucula delibare ab instituto nostro haud penitus alienum erit. Domini seruos aegrotantes curare debebant, hinc Colum. lib. XII. cap. 1. Si quis ex familia cooperit aduersa valetudine affici vendendum erit ut is quam commodissime ministretur. Erant valetudinaria vbi serui reponabantur, quae latissime describit modo allegatus scriptor lib. XI. cap. 1 pag. 333. & lib. XII. cap. 3. Domini a conferuis aegroto medicamenta parari curabant, ad quae sumenda cum, vel reluctantem, cogere poterant. Marq. Freherus *parerg. lib. II. cap. 16.* Si autem decumbentia mancipia negligeret, curare nollet, atque aedibus eiicieret dominus, cum ad pristinam sanitatem redibant serui isti, liberi siebant ex Constitutione Claudi, qua de re multi multa. Solam tamen libertatem Latinam siue naturalem, non ciuilem, quae erat Romana, acquirebant; quia a domino pro derelicto habiti ad statum libertatis naturalis, in quo antequam seruirent ipsi fuerant, aut si vernae forent, matres eorum, reuertebantur. Ast redeo ad seruum derelictum. Eum in nullius postea dominio esse; sed sui iuris fieri, non opus est pluribus adstruam,

seruam, cum hoc totidem verbis doceat Iustinianus in *Nouella* xxii cap. 12. Namque secundum pro derelicto titulum sui & non aliorum existentes. Haec contra Cuiacium dicta sufficiant. Inde porro sequitur quoque nullum seruum, ita proprie dictum, fuisse sine domino: cum enim in l. 23. pr. *D. de liberal. caus.* & l. 38 § 1. *D. de noxal. act.* seruum sine domino esse legimus, id significat eum sui iuris factum. In specie autem quam exhibet Vlpianus Tit. 1. § 19. seruus sumitur pro statulibero, cuius libertas pender a morte fructuarii, aut quoconque alio modo extinguitur vsusfructus, quique potius seruilia orbit munia & in seruitute versatur, quam reuera seruus est. Nec aduersatur Iustinianus in l. 1. *Cod. commun. de manum.* vt liquet ex collatione l. 23. pr. *D. de liberal. caus.* Denique si nulli serui derelicti, serui maneant, neque sint sine dominis; nulli etiam, contra Barbeiracum, occupantis fieri possunt. Illi tamen fauere videtur l. 36. *D. de stipul. seru.* Quod seruus stipulatus est, quem dominus pro derelicto habebat, nullius est momenti: quia qui pro derelicto rem habet, omnimodo a se reiecit, nec potest eius operibus uti, quem eo iure ad se pertinere noluit; quod si ab alio adprehensus est stipulatione ei adquirere poterit. Habemus ibi seruum ab domino derelictum, ab alio rursus adprehensum: quia hoc euenire potuisset nisi fieret occupantis? At verba ab alio adprehensus est intel-

ligi

ligi debent, de eo cui seruus iste derelictus, postea siue bona fide seruierit, siue se ipsum vendi passus fuerit, siue quouis alio modo in potestatem eius peruerterit, non tamen per occupacionem, quae in hominibus, solo belli tempore excepto, nunquam obtinet.

## C A P. XIV.

De varia seruorum conditione  
& dignitate.

**M**E  $\omega\delta\alpha\delta\sigma\zeta\sigma$  quid heic statuere multi prima fronte existimabunt propter § vlt. *Inst. de iur. pers.* In seruorum conditione nulla est differentia: in liberis autem multae. Verum enim uero apposite P. Faber, qui *Semestr. lib. II. cap. 12.* ait, intuitu liberorum vnum eundemque esse seruorum statum; sed inter se honestate vitae & dignitatis gradu distinctos esse. Primo obseruo distinguendos a priuatorum publicos & Caesarum seruos. Publici populi Romani serui ius habebant pro parte dimidia testandi Vlpian. tit. xx. in fine. Quod latius persequitur Pithoeus, ad collat. leg. *Mos.* & *Rom.* tit. v, quem non exscribo. Tantus autem etiam erat fauor seruorum fiscalium, vt mulieres liberae, quae

M

ex

ex SC. Claudiano alias libertatem amittebant si cum seruis alienis contubernium inirent, cum fiscalibus sociari poterant sine villa libertatis iactura l. 4. Cod. Theod. ad SC. Claud. Caesarum serui ut liberi homines agebant notante Merillio *Obseru.* lib. iv. cap. 34. Vestibus albatis, qui color libertati proprius, incedebant. Lipsius *Elet.* lib. ii. cap. 25. Hinc priuatorum serui vbi poterant se in aulam insinuabant, indicio sunt verba Capitolini in *Pertin.* cap. 8. Reddedit praeterea dominis eos qui se ex priuatis dormibus in aulam contulerant. Male igitur Pignorius de serui. pag. 270. *Liberti*, inquit, *Caesariani seruorum loco aliquando videntur habiti*. Imo potius serui Caesariani libertorum loco fuerunt. Et in inscriptionibus frequenter serui vocantur, quibus ea quae libertis tantum conueniunt attribuuntur. Ad priuatorum familias pergo: ibi etiam quaedam inter seruos differitas reperitur. Cicero *parad.* cap. v. In magna familia sunt alii lauatores, ut sibi videntur serui; sed tamen serui. Ita quidem ut unus alteri imperare dicatur Plautus *Pseud. Act.* ii. *Sc.* 2. *vers.* 14.

---- PS. *Condus promus sum, procurator peni.*

HA. *Quasi te dicas Atriensem. PS. imo Atriensi impero.*

HA. *Quid tu seruusne es an liber? PS. nunc quidem etiam seruo.*

Et

Et hi reliquorum magistri dicebantur. Varro de *Re Rust.* lib. ii. cap. 10. Colum. lib. i. cap. 8. pag. 129. Plaut. in *Circul.* *Act.* ii. *Sc.* 2. *vers.* 8.

*Facit hic quod pauci, ut sit magistro suo subsequens.*

Hinc ministri vocantur, qui magistrorum illorum, imperio suberant. Colum. lib. i. cap. 8. pag. 128. *Ne conseruo ministro quoquam nisi in re domini vitatur.* De Villico loquitur, qui rusticae familiae princeps erat, ut Actor seu Dispensator, qui & Procurator dicitur, urbanae. Suet. in *Nerone* cap. 44. *Certum dominis servorum numerum indixit: nec nisi e tota cuiusque familia, ne dispensatoribus quidem aut amanuensis exceptis, recepit.* Notat Torrentius horum operam maxime necessariam dominis fuisse, & recte sane: ideoque si Actor in commissum incidisset, a domino centum aureis redimi poterat, l. 16. pr. D. de *public.* & *vect.* Ratio ne, si dominus eo carere debuisset, res familiares susque deque irent: Tam vero lauta erat conditio horum dispensatorum, ut liberi homines aliquando libertati praetulerint alterius bonorum administrationem, & ad negotia hominum ditiorum gerenda venundari se passi sint. l. 6. § 5. D. iniust. rupt. irritio. Aliquando etiam manumissi eodem in officio perseverabant. Colligo hoc el. 17. § 16. de *Actor.*

dil Ed. Adeo ut de his falsum sit dictum Aeschylus in *Agamemn.* vs 962.

*Εκων γαρ εδεις δελιω χοιται ζυγοφ*

*Seruile ingum semper iniuitos premit.*

Dispensatores in honore esse dicuntur Colum. lib. xii. cap. 3. *Nihil enim nocebit, si sibi, atque Actoribus & aliis in honore seruulis vestis domi confecta fuerit, quo minus patrisfamilias rationes onerentur.* Fere mallem: *alii in honore seruis, vestis domi &c.* Non enim adeo diuerla videtur fuisse Villicorum & Dispensatorum ab hominum liberorum veste, qua de re aliquid iam supra dictum, vt ita emphatice *seruulis vestis* nuncupetur. Egregie huc facit Actorum descriptio, quam dat Philo *quod omni. prob. lib. pag. 673. F.* Επειροι δι εισιν επ γένεσι δελοι, ταδε τη ελευθερων εύμορπα τόχης μελίοντες ἐπιτροποι γαρ εἰσιών, κληράτων καὶ μεράλων εἰσιών, εἳσι δέ οτε πεντή δελόδελων ἀρχοντες καθισανται. Alii autem sunt seruili genere, qui prospera vientes fortuna, liberorum hominum officia obeunt: *Procuratores enim familiarum, bonorum & ampliarum opum, aliquando etiam conseruorum magistri* fiant. Ideo vero quia honestissima erat inter seruos Dispensatorum conditio, nominatim eorum contubernium liberis mulieribus interdictum. l. 4. Cod. Th. ad SC. Claud. Innumera autem fuerunt seruorum officia, pro quorum ratione & dignitate, serui etiam modo honestiores modo

modo viliores censebantur. Ea omnia perlustrare nec lubet, nec vacat. Nican tantum, generaliter seruorum ordinariorum, qui immediate domino suberant, maximam fuisse dignitatem. Hi habebant in peculio vicarios, qui vice ordinis inferioris, etiam ordinariis parere debebant. Ideoque quemadmodum seruis, quae criminiis atrocitatem non habebant a dominis facere iussis, licet legibus saepe contraria, remittebantur; ita & vicariis, ad fugiendum ab ordinariorum coactis, non imputabatur fuga, neque pro fugitiis habebantur. l. 17. § 7. D. de Aedil. Ed. Vilissimi denique & de plebe serui vocabantur quales quales, & nulla eorum fere ratio habebatur. Ad ius autem nostrum etiam pertinet illa seruorum pro dignitate distinctio: namque ea obliteruatur in actione iniuriarum; nec perinde est aliquis Actorem iniuria affecerit, an vero Agasonen, aliud vilissimum mancipium. l. 15. § 31. & 44. D. de iniur. & § 7. Inst. eod. Eadem differentia porro quoque notanda est in materia de usufructu. Qui enim actoris usufructum habet non eo ad quasvis viles operas abuti potest, neque etiam vestibus eisdem, quas serui insimi generis gestare solent, vestire, aut tali cibo, quod fossoribus apponi solet, alere. V. l. 12. § 2. D. de usufr. & quemadm.

## C A P . X V .

De quibusdam beneficiis, quae  
domini seruis dant.

**D**E seruorum priuilegiis, vt ita dicam, etiam aliqua nobis dicenda sunt. Erant in familia magna magistri & paedagogi, qui vernulas, & seruos nouitios, quibus dominorum mores adhuc ignorantibus ignosci ait Quint *De cl. 376.* scitu necessaria docebant. Eorum non raro mentio fit in lapidibus antiquis, & plura eo facientia collegit Pignorius *de seru pag. 234. & seq.* Quod tamen potius suo quam seruorum bono a dominis excogitatum fuit. Rectius igitur ad beneficia quae Romani seruis dabant referas, illos ipsis non raro imaginem quandam aut vmbram libertatem reliquisse. Hinc aliquando serui quidam, non secus ac liberi homines, binomines erant, vt Popilius Rufus *in § 1. Inst. de eo cui libert. caus. bon. add.* confer ibi Theophilum & Cuiacium in notis. Quod adeo tamen rarum erat, vt Impp. Diocletianus & Maximianus eum qui aliquem, quem seruum suum aiebat, quippe ex ancilla sua natum, quia nomine & cognomine designauerat, negent ideo fer-

## DE IVRE SERVORVM.

95

seruum esse; sed, propter nativitatem scilicet, seruili tantum macula adsperlum *l. 9. Cod. de liber. caus.* Aliquando seruilis coniunctio nomine liberis etiam hominibus conueniente exprimebatur. Ita contubernalis serui eius *coniux* vocatur, in inscript. apud Gruterum *pag. 959. num. 12.*

ALPHVS. ORPHITI  
ET. PISONIS. SER.  
GAVTELLAE  
CONIVGI  
DVLCISSIMAE

Apud Alciatum *parerg. lib. x. cap. 7. LYCINO.*  
N. SERVO. CONIVGI. BENEMERENTI.  
NEVILA. MACVLA. Id quoque factum ab Apuleio *Metam. lib. viii. pag. 211.* Seruus habens ex eodem familatio conseruam coniugem, liberae cuiusdam extraneaque mulieris flagrabat cupidine. *Quo dolore pellicatus vxor eius instincta cunctas mariti rationes &c.* Et iterum *pag. 216.* Non latuit fidam vxorem eius casus mariti, de serua loquitur. Huc quoque pertinent quae supra ex Seneca attulimus, de vocabulis *familia, familiaris & paterfamilias.* Erant dies quidam apud Romanos festi seruis, vt Idus Augusti, quo die serva natum Seruium Tullium refert Festus *pag. 149.* Nonnis Decembribus, quando Faunalia celebrabantur, rustica familia genio indulgebat. Horat. *lib. iii. Ode 18.*

Cum

*Cum tibi nonae redeunt Decembres  
Gaudet intusam pepulisse fossor  
Ter pede terram.*

Et eodem mense per plures dies Saturnalia, quibus vt Compitalibus, quae haec excipiebant, omni seruitutis nexus exsoluebantur serui, teste Dionys. Hal. lib. iv. pag. 220. Similia etiam erant festa apud Cydonios in insula Creta, vt docet Athen. lib. vi. pag. 263. F. Benevolentiae dominorum, qui seruis frugi & bene meritis aliquid dabant praemii loco, videtur deberi origo peculiorum. Plaut. Mostell. A&t. i. sc. 3. v. 94.

*Ob istuc verbum, ne nequicquam, Scapha,  
tam lepide dixeris  
Dabo aliquid hodie tibi peculi. - - -*

Postea vero potissimum peculia seruis dederunt, vt ipsi emolumenntum caperent ex eorum negotiatione, & res domesticae inde ampliores fierent. Attamen connuentibus oculis, seruis bene rem gerentibus, aliquando quid quasi proprium relinquebant. Apposite Eustath. ad Odyss. 3 vers. 451. οἰκονομικὴ δὲ ἐνταῦθαι η̄ ισορία, ω̄ς τὸ εὐνόητον δέλων καὶ πενταλιαζούντων ἀκωλύτως ω̄ς τὰ πολλὰ. Ad rei familiaris administrationem haec historia pertinet. Serui enim fideles ut plurimum non  
im-

*impediuntur aliquid proprium habere.* Sed Poëtae verba, quae explicat Eustathius, heic adscribam. Eius cum apud antiquos Iurisconsultos tanta fuerit auctoritas, vt versibus ipsis ad suam vtrinque sententiam tuendam vsi fuerint, quidni & mihi liceat quaedam ad iuris Romani illustrationem ex eo allegare:

Στροφή σφίν ἔνειμε Μεσαύλιος, ὃν ἢντι Συβάτης  
Αὔποτε πηγαρ οἶος θόποιχομένοιο ἀναγένεται,  
Νόσφιν δεσποίνης καὶ λαέρτου γέρενται.  
Πάρε δὲ εξ μιν Ταφιών περίστοι πλεάτεοιν ἑοῖσιν.  
*Panem autem ipsis distribuit Mesarilius, quem  
Subulcus*  
*Ipse solus acquisuerat post abitum regis,  
Inconsulta domina, & sene Laerte.  
Emerat autem ipsum a Taphiis sua pecunia.*

Illud autem quod proprium habebant serui, erat quod de demenso genium suum fraudantes parcerent miseri. Clare indicat Seneca epist. 80. *Peculium suum quod comparauerat ventre fraudato pro capite numerant.* Et Petronius pag. 151. *Pretium sibi de diariis fecit, arcisellum de suo paravit,* & duas trullas. Aut etiam quod e testamento domini capiebant: iure enim recentiori, si a domino seruo quid legatum fuerat, id ipsi heres, qui defuncto testatore eius dominus fiebat, relinquere tenebatur, vt sanciuit Justinianus in l. 5. § 2. Cod. de necess. seru. her. Obseruauit hoc Cu-

iacus African. lib. II. pag. 341. quem omnino vide; multa enim habet huc facientia. Ad propria illa seruorum bona, ita si loqui liceat, rese-ro etiam pecunias quas accipiebant, illi, qui se ipsos alteri, ut seruirent, mancipabant. Et ea quoque quae e liberalitate extranei percipiebant serui, dicta lucra aduentitia l. 4. § 1. *D. de manumiss.* Conniventibus oculis credendum suis eum redemtum cum non numis eius qui eum redemit comparatur. Proinde siue ex peculio, quod ad venditorem pertinet, siue ex aduentito lucro &c. Capite sequenti, quod & ultimum huius dissertationis, de seruis, quos ibi memorat Vlpianus, qui sua se pecunia redimunt, agemus.

## C A P. XVI.

## De seruis qui se a dominis redimunt.

**P**actum inter seruum & dominum de libertate validum esse erudite qui doceat, adhibitis bene multis veterum exemplis, vide Barbe racium *in not. Gall. ad Grotium de I. B. & P.* lib. IIII. cap. 14. § 6. In iure autem, & apud alios auctores, talium seruorum, qui dominis pro libertate pecunias dederunt non infrequens est

men-

## DE IURE SERVORVM. 99

mentio. V. 19. § 1. *D. de donat. int. vir. & ux.* Dion Chrysost. *Orat. xiv.* pag. 232. *A.* οἱ δὲ τινὲς τὴν αὐτῶν τιμὴν καλαθεβλήκασι τοῖς δεσπόταις, οὐδὲ δὴπερ δέλοι εἰσιν ἔτοι αὐτῶν. *Quidam vero ex illis pretium soluerunt dominis, neque amplius ipsis seruiunt.* Dicuntur libertatem mercari Plinio Hist. Nat. lib. VII. cap. 39. Apud Pignorium de seru. pag. 74 in inscriptione aliqua, memoratur seruus cui Eroti nomen LLS. 100 pro libertate dedisse. Pendebant autem pecunias illas, si dominus vellet ex peculio. l. 4. § 1. *D. de manum.* aut e bonis istis, quae per conniventiam extra peculium possidebant: *d. l. & Seneca epist. 80.* Si non tantam haberent pecuniae summam ut statim, quod inter ipsos & dominum conuenerat, soluerent, id per partes faciebant, & usque dum prorsus soluissent in seruitute manebant: elegans est hanc in rem l. 8. § 5. *D. de pecul. leg.* Si ex peculio pretium dominus accipere nollet, & nulla haberent lucra aduentitia, dabant expromissores l. 13. *pr. ad SC. Vellei.* aut ab extraneo pecuniam mutuam accipiebant l. 50. § vlt. *D. de pecul.* Aut etiam eos extraneus ipse a domino redimebat, qui idem tunc liberti fiebat patronus. Apposite Plaut. *in Persa Act. V. sc. 2. vers. 61.*

*Ego sum Patronus plane, qui huic argentum pro te dedi.*

At volentes tantum serui redimebantur, inuitos  
N<sup>o</sup> 2 enim

enim manumitti negat Rad. Fornerius *rer. quot.* lib. IV. cap. 3. qui solos excipit necessarios heredes. Quin aliquando serui mandabant extraneos ut se emeret, & deinde emtos manumitteret, acceptis scilicet numis, quos impenderat: l. 53. *D. de iudic. versu sed & si quis.* Quod si numeros oblatos repudiaret, & seruum sua in potestate, detinere vellet, huic integrum erat contractus fidem detegere d. l. aut qui antea eius dominus fuerat ex affectus ratione ad seruum manumittendum contra emtorem agere poterat. l. 54. *D. mandati.* Notandum vero in illis seruorum pactionibus iure pandectarum intercessisse imaginarium emtorem, qui seruum a domino videbatur redimere l. 4. § 1. & 2. *D. de manum.* interposito, ut coniicio, fiduciae pacto, se eum non in seruitute retenturum; sed statim manu emissurum. Hoc postea obsoleuisse ex l. 9. *Cod. de condic. ob caus. dat.* euincere conatur Ian. a Costa *ad Inst.* lib. I. tit. 3. Sed inde hoc minime liquet. Generali argumento id constat, quippe quia omnes formulae, & imaginariae illae emtiones & venditiones, quae, interpositis fiduciae pactis, antiquo iure obtinuerant, recentiori abolitae sunt. Ex illa lege 9. *Cod. tantummodo discimus magistratus dominos hortari ut seruos a quibus pecunias acceperunt manumittant: quod idem dudum antea obseruatum fuerat: si enim, contra pactionem, mancipium e manu emittere nolleth dominus,*

nus, poterat cum eo seruus consistere, & queri quod non manumittatur: l. 5. pr. *D. de manum.* l. 53. *D. de iudic.* & l. 38. § 4. *D. de poen.* Vbi etiam docetur seruum, qui hoc intenderit, & non impleuerit, ad metallum dari, aut domino restitu vt in vincula coniiciatur. Dominus autem pecunias a seruo promissas, etiamsi post manumissionem ab eo stipulatus non fuerit, actione in factum petere potest l. 3. *Cod. an seru. pro suo facto.* Illa porro pretii datio ad libertatem consequendam a domini voluntate vnicē pendet: recte enim Quintil. Declam. 311. *Hoc ipsum*, inquit, *serui non est, habere in sua potestate, quando desinat seruire:* Quod verissimum est si iura Romanorum species, non aequae si Atheniensium, apud quos dato dominis pretio libertatem, vbi vellent, serui consequebantur. Petit *ad leg. Atticas* pag. 179. Casus etiam quidam speciales iure ciuili contingunt, in quibus seruus inuitio etiam domino videtur sele redimere posse. Ita filius quem pater sanguinolentum vendiderat, aut ipse se, aut eum aliis quicunque, pretio, quod dominus patri dederat, refuso, aut seruo alio praestito, luebat, qua de re nihil addam iis quae dicta sunt a Corn. van Bynkershoek *de iure occid.* lib. cap. 8. pag. 206. Statuliber quoque, quod iusfus fuerat a testatore, post eius mortem, heredi, tunc domino suo, soluere, si obtulerit, vel inuitio herede liber fit, & parum refert an de peculio,

culio, an vero aliunde acceptos numeros, ad im-  
plendam conditionem libertati additam, ei offre-  
rat. *l. 3. § 1. D. de statulib. & l. 3. § vlt. D. de*  
*condict. caus. dat.* Denique interdum, ille qui  
se ad pretium participandum venundari passus est,  
eo pretio emtori restituto, libertatem iterum con-  
sequebatur. *l. 2. pr. D. si ingen. esse dic.* Istaec  
vltima breuiter duntaxat & strictim pertractauit,  
ne nimiam in molem dissertatio ex crescere, ne-  
ue abuterer otio lectoris, quem aurem mihi vel-  
licantem, & monentem ut tandem finem faciam,  
sentire mihi videor.

F I N I S.

---

C O R R I G E N D A

*pag. 4. Tapobrane lege Tapobranes*

*pag. 27. vers. 27. post verba ex peculio adde persolu-  
rat, si relicto a domino peculio*

*pag. 35. vers. 9. denotabant lege donabant*

*pag. 90. vers. 3. poterant lege possent.*